



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu
Tractatus Canonico-Civilis**

Friderich, Melchior

Ingolstadium, 1709

Pars I. De Foro Competente in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61662)



P A R S I.

De Foro Competente in genere.

C A P U T I.

De Fori Competentis natura & multiplici specie.

§. I.

Fori Etymologia & Descriptio.

S U M M A R I U M.

1. *Fori Nomenclatura.*
2. *Forum quandoque pro loco litium exercendarum.*
3. *Quandoque pro iudicio & jurisdictione sumitur.*
4. *Fori simpliciter dicti, & Fori Competentis discrimen.*
5. *Fori Competentis descriptio.*

Forum, sive à ferendo derivetur, ut vult Varro *L. 4. de Ling. Latin.* sive à fando, sive à Foronco Rege, qui primus leges apud Græcos & iudicia instituisse dicitur, ut Isidorus ait *c. forus 10. de V. S. Forum*, inquam, *sex modis intelligitur* (ut ait Festus *V. Forum*) primò negotiationis locus, ut *Forum Flavianum, Forum Iulium*, ab eorum nominibus, qui ea *Fora instituenda curarunt*. quod etiam locis privatis & vicis (alias vicis) fieri solet. Secundo, in quo iudicia fieri, cum populo agi, & conciones haberi solent. Tertio, cum is, qui provincie præest, *Forum agere dicitur*, cum civitates vocat, & de controversiis eorum cognoscit. Quarto, cum id Forum appellabant Antiqui,

A

tiqui,

tiqui, quod nunc vestibulum sepulchri dici solet. Quintò, locus in
navi; sed tunc masculini generis est & plurale. Sextò, Fori signi-
ficant Circensia spectacula, ex quibus etiam minores forulos dicimus;
inde forare & foros dare, & forus & forecula (aliàs forcula) id est
ostiola dicuntur.

2. Instituto nostro, utpotè hie agentium de judicijs & juris-
dictione, ea solum congruunt, quæ secundo ac tertio loco afferun-
tur. Igitur *Forum* hic imprimis significat locum exercendarum
litium. Ubi tamen Oliva de foro Eccles. p. 1. q. 1. n. 3. cum nonnul-
lis distinguit inter territorium & certum illum territorij locum,
ubi jus dicitur à Judice, & pro isto posteriore nomen *Forus* mascu-
lino genere accipit, pro illo *Forum* genere neutro. Quæ tamen
distinctio fundamento caret, & promiscuè plerumque *Forum* &
Forus accipiuntur, & posterius præplacet Isidoro ac antiquioribus
Canonistis, prius frequentius occurrit. Hoc modo sumptum Fo-
rum etiam *lus* dicitur à Paulo L. pen. ff. de Inst. & Iure. Hinc illud
Plauti *Cur. scen. 2. act. 5. in jus ambula*, & Horatij L. 1. *Serm. Sa-
tyr. 9. oppono auriculam; rapit in jus*. Eodè pertinet rubrica D.
& C. de in jus vocando. Dicitur ab eodem Paulo etiam *Auditorium*.

3. Secundò accipitur *Forum* pro ipso Judicio, nec non Juris-
dictione & potestate, ut observant Hostiens. in rub. de for. comp. §.
2. & Panor. ibidem. Unde idem est dicere esse de foro competen-
te, ac esse de jurisdictione competente; & esse de foro Ecclesiasti-
co vel sæculari, aut mixto, ac pertinere ad jurisdictionem Judicis
Ecclesiastici aut laici aut utriusque. Et sortiri forum ratione de-
lictæ, contractus &c. est subijci jurisdictioni Judicis, in cujus terri-
torio contractus aut delictum factum est. Hinc lib. 3. Cod. titul.
13. inscriptus est à Justiniano de *Jurisdictione omnium Iudicum &
Foro competente*, quòd vel idem sint *Forum competens & Jurisdi-
ctio*, vel quòd forum necessariò sequitur jurisdictionem, & ex hac
forum cujusque Magistratus metimur. Cæterum utroque sensu
modò explicato dicitur Forum habere Magistratus & subditus: il-
le activè, nimirum jurisdictionem & certum locum, ubi eam exer-
ceat;

ceat; iste passivè, quæ certo in loco in ipsum exerceatur. Hac quoque ratione *Forenses* dicuntur, qui tribunalibus & judicijs occupantur; & *forenses causa*, quæ iudicio disceptantur. *L. pen. ff. de Ferijs*. Inde quoque dicta sunt *Instrumenta forensia* scripturæ publicæ, quæ fidem in iudicio faciunt. *L. Comparationes D. de fid. Instrum.* Cæterum hoc verbo *Forum* semper quidem intelligi potest Jurisdictio, non tamen semper territorium: etsi enim eorum appellatio sæpe promiscuè sumatur, & paria esse dicantur Fori alicujus esse, & esse alicujus Territorij, reipsa tamen illud latius patet, quam istud, cum forum possit esse sine territorio. Sic Rector Universitatis, Magister militiæ &c. tametsi territorium non habeant, habent tamen forum & jurisdictionem ordinariam, cum hæc consistere queat absque territorio, sicut territorium esse potest sine jurisdictione, ut post Baldum, Felin. Marant. ac alios tradit, & fusè prosequitur Petrus Barbosa *ad L. cum prator 12. §. 1. ff. de judicijs an. 45.* & Menoch. *L. 3. præsumpt. 97. n. 6.* Censentur tamen, qui jurisdictionem in certas personas exercent, territorium habere, licet revera non habeant, ut cum Joan. And. notat Chassan. *ad consuet. Burgund. Des Justices. §. 1. V. aut territoire n. 16.*

4. Sermo autem hic est de Foro non simpliciter, sed de Competente. Nec enim, qui forum habent & jurisdictionem, ubique & promiscuè in omnes vel personas vel causas eam obtinent. Non ipse etiam supremus Hierarcha & Christi in terris Vicarius SS. Pontifex; cum Ecclesiæ subiecti non sint infideles, juxta Apost. *1. Cor. 5. v. 12.* utpote per Baptismi januam eam non ingressi, adeò ut nec cogi possint Baptismum suscipere. *Concil. Tolet. 4. c. 57. Concil. Lateran. 111. c. 26. Carthagin. can. 109. c. sicut 9. de ludæis, can. ad fidem 33. 23. q. 5.* nec bellum iisdem inferri possit propter idololatricam, aliâque crimina cum lumine naturæ pugnancia, ut tradit communis Theologorum contra Major. *m 21. dist. 15. q. 20.* & Alph. à Castro *L. 2. de Heret. pun. c. 14.* Neque Imperatori universalis in quoscunque etiam laicos jurisdictio competit, cum falsa sit & meritò explosa illa Bartoli aliorumque communis olim sen-

4
 tentia Orbis totius dominium illi asserens.

5. Forum Competens ab Ifidoro *c. forus de V. S.* dicitur *litium exercendarum locus*. Quæ definitio ut vitio careat, addendum vel subintelligendum est *necessariò à litigantibus adeundus*. Cum enim non quovis loco conveniri reus possit, tametsi ibi lites exerceantur, is tantum locus competens erit, in quo reus cogitur respondere, vel quòd illum sibi proprium fecit constituendo ibi domicilium, ineundo contractum, committendo delictum &c. vel quòd in eum consensit, Judici non suo jurisdictionem prorogando, aut commissarium postulando, vel in causa ad plures iudices pertinente fuit ab alterutro eorum præventus. An autem propterea, quòd quis coram hoc Judice ratione vel delicti, vel contractus, aliòve ex capite, respondere cogatur, ejus subditus dicens sit, quæstio nominis est. Quod quamvis post Socin. Decium, Alexandr. ac alios negant Gail. *de Pignorat. c. 15. n. 3. & 6.* Heigius *p. t. q. 18. n. 5.* Ziegler *§. Landsassij concl. 1. n. 72.* Knipschildt *de Jurib. Civit. Imperial. L. 1. c. 12. n. 54.* Melius tamen affirmant S. Thomas *2. 2. q. 67. art. 1. ad 3.* Suar. *de Censur. disp. 1. sect. 7. n. 1.* Pet. Barbosa *in L. Hæres absens §. proinde ff. de judicijs*, Oliva *de foro Eccles. p. 3. q. 1. n. 42.* ac alij: quia correlativa sunt habere jurisdictionem, & esse subditum. *Clem. Pastoral. §. Cæterum de Re judic. c. à nobis 21. de sent. Excomm. L. ult. ff. de jurisdic. omn. jud. L. 1. §. 2. ff. quod quisque juris.* Certum tamen est, & convenit inter omnes, ratione dumtaxat domicilij simpliciter dici subditum: eum verò, in quem ex alio tantum capite, v. g. ratione feudi, contractus, delicti &c. jurisdictio exercetur, subditum solum esse secundum quid, ut explicat Barbosa *l. c. §. fin. à n. 39.*

§. II.

Fori Competentis Divisio.

SUMMARIUM.

6. *Fori divisio in Ecclesiasticum & Seculare.*
7. *Ecclesiastici in Externum & Internum.*

8. *Exter.*

8. Externi in Ordinarium & Extraordinarium. Ordinarij in Com-
mune & Singulare.

9. Et in Contentiosum ac Voluntarium.

6. Forum primâ & principali divisione distingui solet in Ec-
clesiasticum & Seculare. Duo quippe sunt, quibus principaliter hic
mundus regitur: auctoritas sacra Pontificum & Regalis potestas, ut
dicitur *Can. 10. dist. 96. five Sacerdotium, & Imperium; illud qui-*
dem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligen-
tiam exhibens, ut loquitur Justin. Novell. 6. prin. Utrumque regit
& vegetat, illud velut Sol, istud ceu Luna, ut dicitur c. solitæ 6. de
Major. & obed.

7. Ecclesiasticum seu Sacrum subdividitur in Externum &
Internum. Hoc est, quod intus in mente hominis, ubi Conscien-
tia residet, exercetur, ut loquitur *Suar. L. 3. de leg. c. 21. n. 2. &*
ideo Forum Conscientiæ appellatur, ac ab Augustino dicitur Forum
Poli, seu Dei, can ult. 17. q. 4. Externum est, in quo de actibus
externis & per actus externos agitur. Forum Sacrum subdividi-
tur in Forum Conscientiæ simpliciter, & in Forum Pœnitentiæ,
seu Pœnitentiale & Sacramentale. Quamquam enim juxta ali-
quos DD. Conscientiæ & Pœnitentiæ Forum sint convertibilia,
& synonyma, re ipsa tamen distinguuntur. Nam licet Pœniten-
tiale sit etiam Conscientiæ Forum, & in illo comprehendatur;
non tamen è converso Forum Conscientiæ semper idem est ac
Pœnitentiale, sed patet latius, estque generalius, cum multa per-
tineant ad conscientiam, quæ extra Sacramentum Pœnitentiæ fie-
ri possunt, ac culpam non supponunt, uti supponit Pœnitentiæ
Forum. Sic pro Foro Conscientiæ absque administratione Sa-
cramenti Pœnitentiæ & remissione vel vindicta alicujus culpæ sæ-
pe dantur privilegia, gratiæ, ac dispensationes in impedimentis ma-
trimonij occultis, irregularitatibus, præceptis ac legibus; fiunt ab-
solutions à censuris; conceduntur Indulgentiæ &c. uti docet præ-
xis Ecclesiæ, & observant Emm. Rodriq. *tom. 1. quæst Regul. p. 61.*
art. 10. Sanch. de matr. L. 8. disp. 34. n. 20. Suarez. de Legib. L. 8.

c. 6. n. 13. § 15. Oliva de Foro Eccles. p. 1. q. 1. n. 16. Posset non incongruè etiam Forum Sæculare seu Civile in *Externum & Internum* dividi, cùm leges etiam civiles obligent in conscientia, nisi ex mente Legislatorum nolentium sub culpa obligare, aut usu interpretativo populi sint merè poenales, ut cum S. Thoma 1. 2. q. 96. art. 4. ac communi Catholicorum sententia latè tradunt & explicant Navarr. in *summa* c. 23. n. 54. Covarruv. in *reg. Peccatum* p. 2. §. 3. Bellam. tom. 2. *Contr. L. 3. de laicis* c. 11. Turrian. L. 5. *advers. Magdeburg.* c. 9. Suar. L. 3. *de Leg. c. 21. n. 5.* ubi ait, esse assertionem vel de Fide, vel proximam Fidei, idèmq; asserit Salas de *Legib. disp. 15. sect. 1. n. 7.* & esse *de Fide* absolutè asserunt Tapia, Texeda, & Gabr. Vasq. apud Moyatr. 6. *select. qq. disp. 4. q. 4. n. 31.* eò quòd *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Rom. 13. v. 2. Est autem ibi sermo etiam de potestate sæculari, uti patet cùm ex consequentibus, tum ex præcedentibus his verbis *Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt (potestates) à Deo ordinatae sunt.* Per *damnationem* verò ibi intelligi damnationem apud Deum propter culpam, constat ex eo, quòd Apostolus Principem etiam sæcularem *ministrum Dei* dicit, eique obediendum esse *non tantum propter iram,* seu vindictam de transgressoribus sumendam à Legislatore, *sed etiam propter conscientiam,* seu ad vitandum culpæ reatum apud Deum. Idem significant verba S. Petri *epist. 1. c. 2. subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi &c. quia sic voluntas Dei est.* Unde etiam de Principibus Sæcularibus procedit illud Christi Dom. *qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Habet igitur potestas secularis Forum tam Internum & Externum, dum plurimæ, aut pleræque ejus leges, in Foro simul Conscientiæ & Externo obligant: aliquæ verò, nimirum merè poenales (quales dari hîc supponimus) solum in externo. Nihilominus quia leges civiles solum ordinantur ad externam politiam, & rectam gubernationem populi, quæ sufficienter obtinetur per actus externos, nec per se & directè tendunt ad vinculum spirituale,

le, quale est obligatio in conscientia, idcirco Forum Internum non male attribuitur soli potestati Ecclesiasticæ, utpote quæ directè intendit etiam internam gubernationem & beatitudinem subditorum supernaturalem: non verò solum temporalem, uti potestas secularis.

8. Forum Externum distinguo cum Ummio *disp. 8. ad process. iudic. th. 1. in Ordinarium & Extraordinarium, Ordinarium in Commune & Singulare.* Nam Iudices alij in personas & causas specialiter non exemptas ordinariam jurisdictionem habent ratione vel domicilij, vel delicti in suo territorio commissi, aut rei ibidem sitæ &c. alij extraordinariam & ex accidenti advenientem, uti fit per prorogationem, aut connexionem & continentiam causarum. Ummius *l. c. th. 15.* & Bachov. *de action. disp. 1. th. 28.* Quò reduci quoque potest Reconventio. Sunt quoque certæ cum causæ tum personæ, in quas ordinaria quidem jurisdictio exercetur, ea tamen non communis omnibus, sed singularis his vel causis vel personis, uti sunt Causæ Sacræ, Feudales, Fiscales &c. & personæ privilegiatæ, ut Clerici, Nobiles, Studiosi &c. Quam ob causam hoc Forum Singulare dicitur *Privilegiatum.* Similis distinctio cum Bachovio *l. c. th. 3.* fieri potest in Forum *Commune*, in quo quæcunque actiones, Civiles & Criminales, in rem & in personam, rectè instituuntur: quale forum tribuit locus domicilij. Et in *Proprium*, quod ultra commune in singulis causis accedit: velut in criminalibus locus, ubi committitur delictum, in actionibus in personam locus contractûs, in actionibus in rem locus rei sitæ.

9. Denique cum Jurisdictio alia sit *Contentiosa*, alia *Voluntaria* *L. 2. ff. de Offic. Proconsul.* illa, quæ exercetur in invitum, cum duo pluresve de causa quadam iudicio contendunt *L. inter 83. §. 1. V. iudicium ff. de V. O.* ista, quæ expeditur inter volentes, puta in manumissionibus & adoptionibus *cit. L. 2. de Offic. Proconsul.* bonorum possessionis agnitione *L. 1. ff. de iurisdict. & L. ult. C. qui admitti ad bon. poss.* nec non in dispensationibus, absolutionibus &c. idcirco Forum pariter distingui in *Contentiosum & Voluntarium potest*

potest, in quo videl. Jurisdictio vel Contentiosa, vel Voluntaria exercetur. Hanc divisionem secutus, ubi hac parte primâ Fori naturam explicavero, parte II. agam de Foro Ordinario Communi, quo comprehendo Forum Domicilij, Contractûs, Delicti, Rei sitæ: parte verò III. de Foro Ordinario Singulari, quod habent certæ personæ privilegiatæ: parte IV. de Foro Extraordinario, quo comprehendo *Prorogationem, Delegationem, Connexionem seu Continentiam causarum, & Reconventionem.* Parte demum quintâ afferam causas, quæ privativè ad Forum vel Seculare vel Ecclesiasticum pertinent, vel cumulativè ad utrumque: hanc divisionem methodicam & aptam arbitratus ad vitandam confusionem; interim non ignarus, ab alijs aliam fieri, ab alijs nulum hic ordinem servari.

CAPUT II.

De Obligatione sequendi Forum Competens.

§. I.

Competentia Fori unde cognoscatur.

SUMMARIUM.

10. *Multiplex Fori Competentis dignoscendi ratio proponitur.*

10. Cum omnis potestas & jurisdictio, quæ homini in hominem competit, limitata sit, perspicuum est, non omne Forum respectu cujusvis aut personæ aut causæ esse competens, sed limitatam esse quamcunque jurisdictionem, & ultra suam peripheriam ac fixos limites extendi non posse; seu, quod idem sonat, eum, qui jurisdictioni præest, supra suam jurisdictionem jus dicere non posse *L. fin. ff. de Jurisdic. & tot. tit. C. si à non compet. iud. nisi partes jurisdictionem prorogent. L. 2. ff. eodem.* Hinc illa Pauli J. C. regula cit. *L. fin. Extraterritorium jus dicenti impunè non paretur.* Quæ sententia etsi inspecto duntaxat cortice verborum solum dicere videatur, Judicem, si extra suum territorium corporaliter existat, suis subditis jus ibi dicere non posse: sensus tamen ejusdem plenior

plenior & universalis hic est, quòd nemo judicare vel personam vel causam possit, quæ non est de ejus foro & jurisdictione, prout regulam illam bene explicant Vult. *L. 1. discept. schol. c. 1. Math. Stephani L. 1. de iurisdic. c. 33. n. 12.* Hinc etiam ille, qui jurisdictionem quidem habet, at non in hanc personam, causam &c. nihil agit. *L. 1. C. Si non à compet.* nec quemquam litigatorum sententia non à suo Judice dicta constringit, ut dicitur *L. 4. C. eodem.* nec lis denunciata coram incompetente Judice præscriptionem interrumpit. *L. si pater 7. ff. Ne de statu defunct.* Incompetens autem Forum esse potest vel ratione causæ, dum Judex datus ad certam causam, aliam, ad quam datus non est, decedit. *cit. L. 1.* Vel ratione personæ, dum in extraneam personam, vel exemptam à sua jurisdictione, hanc exercere attentat. *L. 2. C. eod.* Vel ratione loci, dum ultra suum territorium eam extendit. *cit. L. 4.* Vel temporis, v. g. si delegato constitutus est terminus, intra quem negotium expediat, & ipse absque prorogatione elapso tempore judicet, aut Feriarum, vel, ubi id prohibitum est, de nocte. Hinc vera est regula, quam tradit Jason in *L. ex quacunque ff. si quis in jus voc.* ex quatuor capitibus cognosci posse, aliquem esse vel non esse de foro citantis: nimirum vel ex causa, vel ex persona, vel ex loco, vel ex tempore. Ex quorum capitum aliquo si Forum sit incompetens, competit reo convento exceptio fori declinatoria, de qua postea uberius. Verùm hinc variae quaestiones nascuntur peculiaribus §§. tractandæ.

§. I I.

An detur obligatio respondendi in Foro

non competente.

S U M M A R I U M.

11. *Nemo tenetur litigare in Foro non competente.*
12. *Pœna trahentis ad Forum incompetens.*
13. *Quando incurratur.*

11. *Certum adeò est, neminem ad forum non competentis*

B

trahi

trahi posse, ut etiam poena statuta sit ad illud trahentibus tam Judici quàm Actori. Ita enim Imperatores rescripserunt *L. in criminali §. C. de Iurisdict. om. Iud. Is verò, qui suam causam criminalem sive civilem sine cœlesti oraculo (Principis) in vetito vocavit examine (foro incompetente) aut executionem poposcit militarem, actor quidem propositi negotij actione mulsetur: reus verò pro condemnato habeatur.* §. Tribuni sive vicarij capitalem sibi animadversionem subeundam esse cognoscant, si vel suam vel militum executionem interdictam præbuerint. Igitur, ut post Bartol. aliòsque hanc legem explicat Sichardus *n. 1. §. 2.* si actor trahit reum ad forum incompetens, sive in causa criminali, sive civili, perdit actionem & causam: reus verò pro confesso habetur, si actorem trahit ad Judicem non competentem: quod juxta glossam *in cit. L. §. V. Habentur* contingere potest, si reus actorem agere volentem minis intentatis compellit actionem instituere non coram Judice rei competente, sed alio: vel, ut casum ponit Sichard. *cit. n. 2.* si Titius diffamatus adit Judicem incompetens, & ex *L. diffamari C. de ingen. manum.* cogit Caium diffamantem coram illo agere. Judex denique incompetens ferens sententiam, & executor eam exequens, capitaliter punitur. Quæ poenæ cum sint gravissimæ in re non adeò magni momenti, ut loquuntur Sichard. *l. c.* & Carpz. *L. 2. Resp. Iur. Saxon. resp. 38. n. 4.* nec alibi in Jure expressæ, idcirco rescriptum hoc Imperatorium singulare appellant cum Bartol. *in cit. L. §. Paul. Castr.* dicit hoc esse mirabile, nec uspiam practicari.

12. Extendunt non pauci hoc rescriptum ad quemcunque Judicem incompetens, & idcirco reo ad Judicem incompetens citato suadent, ut compareat, nec incompetens, quamvis ejusdem gnarus, opponat, sed illam se ignorare fingens litem contestetur, & hac contestata, secundum *cit. L. §.* pronunciari postulet, adversarium suo jure cecidisse, utpote qui ipsum ad Judicem incompetens vocavit. Verum hanc opinionem & cautelam meritò rejiciunt Vultejus *in cit. L. §. Brunneinan. ibid. n. 4. Ber-*

4. Berlich. p. 1. concl. 5. n. 23. & Carpz. l. c. à. n. 7. Nam præterquam quòd talis fictio sit veritati inimica ac propterea turpis, constat ex L. 1. § 3. C. eodem. L. 15. § 18. ff. eod. L. 1. 2. § 24. § 1. ff. de Iudic. prorogari jurisdictionem consensu partium posse, & quidem non tantum consensu expresso, sed etiam tacito, dum quis volens litem contestatur coram Judice non suo, ut infra fufius dicemus: quæ prorogandi facultas sublata fuisset per dict L. 5. si de quovis incompetente Judice sermo ibi esset. Non est autem credibile, dictos Impp. Arcadium & Honorium voluisse suorum prædecessorum leges, quibus prorogatio conceditur, reformare, cum reformandi sufficiens ratio non appareat. Itaque Lex illa intelligenda est de eo duntaxat Judice, qui ita incompetens est, ut jurisdictio ipsi prorogari non possit; uti prorogari non potest laico, quando agitur contra Clericum, aut de causa spirituali, aut quando causa est criminalis, & criminalem jurisdictionem Judex, quem partes adveniunt, non habet &c. cujusmodi casus, quibus jurisdictio prorogari nequit, infra complures dabimus. Hanc limitationem aperte indicat ipsa lex, de qua agimus, per verba *in vetito examine*: non enim vetitum est examen & iudicium coram quocunque Judice incompetente (eo ipso quòd prorogatio jurisdictionis à Jure concessa est) sed tantum coram aliquibus & in certis quibusdam causis. Addendum tamen est, poenam dictæ legis incurri etiam tunc, quando quis ad illum quidem Judicem, cujus jurisdictio prorogari potest, vocatur, invitus tamen, v. g. quia minis compellitur, aut dolo inducitur, dum fingitur Judex competens, qui non est. Sic enim jam est vetitum examen, cum vetitum sit quemquam invitum pulsare iudicio coram Judice incompetente.

13. Sed neque si quis adversarium suum ad vetitum examen traxerit, illicò incurritur poena cit. lege statuta; sed nunc solum, quando citatio effectum habuit. Ita teste Menochio *consil. 230. n. 97.* cit. legem post Gloss. & Bart. intelligunt omnes, dum dicunt, licere actori poenitere quocunque ante sententiam: quod

facere non posset, si per solam citationem vel litis contestationem jus quæsitum fuisset adversario ad forum incompetens citato. Imò Menoch. l. c. n. 118. ad incurrendam poenam non tantum sententiam, sed etiam ejus executionem requiri existimat.

§. III.

Citatus ad Forum non competens an teneatur comparere.

SUMMARIUM.

14. Tenetur citatus comparere, tametsi dubium sit de competentia Fori.
15. Præsumptio, quæ stat pro Iudice, prævalet illi, quæ est pro citato.
16. Exemptus privilegio in Corpore Iuris clauso non tenetur comparere; tenentur alij.
17. Etiam coram Iudice delegato.

14. Alterum hoc dubium est, quod ex dictis nascitur. In eo resolvendo pugnare inter se leges videntur. Nam L. 5. ff. de Iudic. dicitur: si quis ex aliena jurisdictione ad Prætores vocetur, debet venire. Ita pariter loquuntur C. cum parati 19. de Appell. C. veniens 15. jun. Gloss. fin. de Accus. C. cum persona 7. de Privil. in 6. E. contrario, ut ait Ulp. L. 3. ff. eod. non videtur frustranda actionis causâ latitare (ac idcirco nec contumax esse) qui præsens (licet in iudicio adesset) suscipere iudicium non compellitur. Et contumaces non videntur, ut dicit JC. L. contumacia 53. §. 3. ff. de Re jud. nisi qui, cum obedire deberent, non obsequantur: id est, qui ad jurisdictionem ejus, cui negant obsequi, pertinent. Ad has similesque leges conciliandas communiter DD. hos casus distinguunt, & distinguendos aiebant Cameræ Imp. Assessores teste Mynsing. cent. 6. obs. 7. n. 3. Primus est, si certum sit, citatum de foro citantis esse. Alter, si è contrario certum sit & evidens, quòd citatus non sit de foro citantis. Tertius, si dubium est, sitne an non de ejus foro & jurisdictione. In primo tenetur comparere,

parere, ne reddatur contumax. *cit. L. contumacia.* Pariter comparere tenetur in tertio. *cit. L. 5. ff. de lud. & L. 2. ff. si quis in jus vocat.* In secundo casu non tenetur comparere citatus, idque probant *cit. L. 3. & 53. C. si à ludice de Appell. in 6. L. Praeses 2. C. de Interdict. Clemen. Pastoralis §. Pisanáque de Sent. & re jud.*

15. Ex his tribus assertionibus, secunda, quâ dicitur, in dubio de foro competente teneri citatum comparere, difficilis apparet propterea, quia citatus est in possessione suâ libertatis, quâ deijci nequit per præsumptionem aliâmvē probabilem duntaxat rationem pro jurisdictione citantis pugnantem: cum notum sit, neminem sua possessione privandum esse ex probabili tantum jure adversarij. Videtur igitur ad hoc, ut citatus comparere teneatur, liquidè constare debere de jurisdictione citantis. Verùm respondetur, præsumptionem, quam habet pro se, qui cæteroquin in hoc territorio, vèi in certas causas & personas præest, prævalere præsumptioni, quæ stat pro libertate citati, versantis in hoc territorio, aut causam habentis in eo genere, in quo ille fundatam jurisdictionem habet. *Prætoris est enim*, inquit Ulp. *cit. L. 5. estimare, an sua sit jurisdictio: vocati autem, non contemnere auctoritatem Prætoris*, id est, ad rem non pertinet in dubio judicare de jurisdictione citantis, sed potius ad citantem, cum sit in quasi possessione juris citandi, sitque pro ipso præsumptio, quòd legitime citet & suæ jurisdictionis meliorem notitiam habeat, quàm reus, qui gerit personam privatam.

16. Tertia assertio, quâ dicebatur, citatum non obligari comparere, si certum sit, quòd non sit de foro citantis, falsa videri potest. Nam notum est ex *C. 2. de Constit. in 6. L. fin. ff. de Jurisdic. & L. fin. C. si à non compet lud.* Judicem in eum, qui est alienæ jurisdictionis, nullam habere potestatem, & impunè ipsi non pareri: & nihilominus dicitur *cit. L. 5. si quis ex aliena jurisdictio- ne ad Prætozem vocetur, debet venire.* Tametsi ergò notum sit, quòd citatus non sit subjectus citanti, utpote ex aliena jurisdictione, tenetur comparere. Sequelam hanc distinguunt Paul. Cast.

L. 1. consil. 481. n. 6. Alexand. in L. 2. ff. si quis in jus voc. n. 14. Felin. in C. cum ordinem de Rescr. n. 8. Pet. Barbosa ad L. 5. ff. Iudic. n. 34. ac alij, dicendo: si Judex per se & ipso jure non habet jurisdictionem in citatum, non valet citatio & processus. Valet verò, si per se & ipso jure Judex in citatum habet jurisdictionem, quæ tamen oppositâ aliquâ exceptione elidi possit, v. g. privilegij, præscriptionis &c. tunc enim citatus comparere tenetur & exceptionem opponere; secus, procedi contra ipsum in contumaciam potest, valétque processus. Alij cum Panorm. in C. si duobus de Appell. n. 4. § 15. quos citat Felin. l. c. § in cit. C. si duobus n. 13. absolutè pronuntiant, si notoria sit exceptio citati, non valere citationem & processum tanquam contra contumacem: & favet cit. L. 3. ff. de Iudic. L. 53. ff. de Re judic. Clem. Pastoralis de Sent. § re jud. Has opiniones conciliari posse existimo cum Laym. in C. cum ordinem 6. de Rescript. n. 12. ac Oliva p. 8. Fori Eccles. q. 11. n. 25. & dico, citatum ab ordinario Judice, si exemptum se pretendat, debere comparere & exemptionem allegare, si exemptus non sit Jure communi, sed solum jure speciali, v. g. præscriptione, aut privilegio speciali, quod Corpore Juris clausum non est: non verò teneri comparere, si exemptus est de Jure communi, uti sunt v. g. Religiosi Mendicantes à jurisdictione Episcopi, Clerici à jurisdictione laicorum, Studiosi &c. Ratio prioris partis est: quia exemptio Corpore Juris non contenta facile ignoratur, aut si nota est, hoc ipsum allegari & de eo cognosci debet, cum in facto potius quàm jure consistat. Ratio secundæ partis est: quia posterior exemptio æquè fundata est in Jure communi ac jurisdictione Judicis, unde huic derogat tanquam species generi, ejusque allegatio & probatio frustra petitur, cum quæ jure communi continentur, nota esse debeant Judici. Hinc Clericus à Judice seculari citatus non tenetur comparere ad allegandum Fori privilegium, dummodo ipsum Clericum esse appareat. Glossa. in C. convenior 23. q. 8. v. congrueret & in C. Nullus Episcopus 11. q. 1. v. velexbibeatur, Perez. L. 1. ordinat. tit. 3. leg.

3. leg. 1. Gratian. reg. 9. n. 10. Jul. Clarus L. 5. Sentent. 9. fin. q. 36. Sanchez. in Opusc. Moral. L. 6. c. 1. dub. 1. n. 12. Quaecunque autem ex dictis opinionibus teneatur, assertioni nostrae non obstat cit. lex 5. solum enim dicimus, non teneri comparere citatum, si constet, quod citans nullam in ipsum jurisdictionem de Jure communi habeat; hoc autem receptum est inter DD. & notum ex cit. Juribus, favetque illa ipsa lex 5. dum ait, Praetoris esse aestimare, nam sua sit jurisdictio: quibus verbis innuitur, tunc comparere citatum debere, quando de sua jurisdictione cognoscere debet Judex, id est, si est aliquo modo incertum, num citatus sit ex aliena jurisdictione; aut si de Jure communi est de foro competente citantis, an habeat specialem aliquam exemptionem. Addunt aliqui cum Panor. Felin. Decio, Navarro, debere defectum jurisdictionis notum esse non tantum citato, sed etiam citanti: huic enim si notus non sit, procedi contra absentem tanquam contumacem posse. Verum textus C. si duobus 7. de Appel. quo id probant, non loquitur de casu, quo citans nullam in citatum jurisdictionem habet; sed de illo, qui habet ordinariam aut delegatam, nescit tamen, quod citatus appellaverit: quo casu nemo negaverit, citatum debere comparere & appellationem coram Judice interponere.

17. Quae modo dicta sunt, non tantum de Ordinario, sed etiam de Delegato Judice procedunt: nam si etiam hic aliquem citat, citatus in dubio tenetur comparere, cum non minus quam Ordinarius cognoscere possit, utrum sua sit jurisdictio. C. super literis de Rescript. Est nihilominus hic quoque discrimen inter ipsum & Ordinarium: hic enim fundatam habet suam intentionem super jurisdictione in omnes, qui in ejus territorio reperiuntur, aut ex illo personarum genere sunt, in quos ipsi competit jurisdictio, ac idcirco absque allegatione & probatione jurisdictionis obligatur citatus comparere: Delegatus vero, cum non habeat ita fundatam suam intentionem, tenetur litteras delegationis exhibere C. cum in jure 3. de Offic. deleg. nec tenetur citatus comparere,

parere, nisi citationi inserta sit copia rescripti delegationis. *L. un. C. de superindicto. L. si quis 1. C. de Mand. princ. cit. C. cum in jure*
 3. Pari ratione juxta Baldum aliósque, quos refert Petr. Barbosa ad *L. 5. ff. de iudic. n. 10.* si Judex sit particularis, qui in paucis habet jurisdictionem, non tenetur citatus comparere, nisi in ipsa citatione inseratur justa causa, propter quam comparere debeat.

§. I V.

An Judex possit cognoscere de Competentia sui Fori.

S U M M A R I U M

18. *Potest Iudex Ordinarius in dubio de sua jurisdictione cognoscere.*
19. *Quin etiam Delegatus.*
20. *Etsi huic obijciatur defectus omnis jurisdictionis.*
21. *Multis in casibus neuter potest.*
22. *Valent acta iudicis incompetentis, si sententia super competentia transit in rem judicatam.*
23. *Nisi delegatio facta sit ab eo, qui delegandi potestatem non habuit: aut rescriptum delegationis sit supposititium.*
24. *Aut pronuncians super sua jurisdictione sciverit se nullam habere.*
25. *Ad fundandam jurisdictionem sufficit quandoque tacita solum pronuntiatio.*
26. *A sententia iudicis competentem se pronunciantis datur appellatio.*
27. *Ad obtinendum processum sufficit quandoque sola narratio qualitatibus jurisdictionem tribuentis.*
28. *Sepe non sufficit.*
29. *Iudex se incompetentem pronuncians partem victam in expensas condemnare potest.*

18. *Cum in dubio de subiectione comparere citatus teneatur, ut modò dictum est, quæstio mox oritur, num hoc dubium ipse*

ipse Judex, de cujus Jurisdictione in citatum ambigitur, decidere possit. Et videtur non posse: quia cognoscere, utrum sua sit jurisdictio, re ipsa est cognoscere de re propria, hoc autem omni jure prohibitum est. *L. qui jurisdictioni 10. ff. de jurisdic. L. un. C. ne quis in sua caus.* Communis tamen & certa DD. sententia est, posse ordinarium Judicem de sua jurisdictione cognoscere, quoties à partibus citatis in dubium vocatur, videlicet sitne Judex competens an non. ita enim deciditur *L. consensisse 2. §. 6. & L. si quis 5. ff. de judic. L. 2. ff. si quis in jus voc.* Sic ex. gr. si coram Judice ordinario reus excipiat causam esse feudalem, potest ille super veritate exceptionis cognoscere, utrum videlicet causa sit feudalis nec ne: & siquidem feudalem esse constiterit, debet se incompetentem pronunciare, causamque ad Pares Curia vel Dominum remittere, ut cum Innocent. Panor. Bald. ac communi Interpretum tradunt Curt. Jun. p. 7. de Feud. n. 3. & 4. Zasius ibid. p. 11. n. 12. & vol. 1. consil. 13. n. 36. Gail. L. 1. obs. 34. n. 2. ubi testatur, ita observatum fuisse in Cam. Imp. Ad rationem dubitandi respondent Gloss. 2. in L. 2. ff. si quis in jus voc. Panor. & Felin. in C. super literis 20. de Rescript. prohibitionem illam *ne quis in sua causa judicet vel jus sibi dicat* procedere, quando causata est sua, ut in ea proprium commodum pretendat *L. 1. §. in propria ff. quando appell.* ubi dicitur, propriam causam esse, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. Habere autem jurisdictionem ad cognoscendum de causa, non tam commodum, quam onus est: *quia judicandi quoque necessitas*, ut dicitur *L. fin. §. 13. ff. de Muner. & honor. inter munera personalia habetur*, quæ quibusdam propter onus annexum remittuntur. *L. 6. §. 8. ff. de Excusat. & L. 13. §. 2. ff. de vac. & excus. munerum.*

19. De Judice delegato specialis difficultas est ex eo, quod potest accipere sportulas *C. statutum 11. §. insuper de Rescript. in 6.* & sic dum pronuntiaret, se esse competentem, id cederet in ipsius emolumentum. Verum etiam delegatum posse cognoscere,

C

scere,

scere, num sua sit jurisdictio, notum est ex *C. Pastoralis* 14. & *C. Ex parte* 33. de *Rescript. Clem. 1. eod. C. cum olim de Offic. deleg. L. prescriptione* 2. *C. si contra jus vel util. publ.* Nec obstat dubitandi ratio: quia etiam de delegato statuitur *cit. c. 11. ut gratis* & cum omni puritate iudicium coram ipso procedat, nullum munus vel quidquam aliud (nisi fors an esculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, vel nisi cum ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas) recipere ab iisdem partibus qualitercunque presumat. Cum igitur presumi non debeat, quod propter modicum emolumentum a tramite iustitiae deflexurus sit, non est ratio, cur ipsi non concedatur potestas de sua jurisdictione cognoscendi. Quod si solus sit, solus super orto dubio cognoscat: si plures vel uno vel diversis rescriptis delegati sint, convenire simul debent ac dubium discutere; & si consentire nequeant, arbitros eligere. *cit. C. Pastoralis de Rescript.*

20. Id tamen discriminis hic intercedit inter Judicem Ordinarium & Delegatum juxta Panor. *in cit. C. 20. de Rescript. n. 10. casu* 3. Felin. *ibid. n. 23. fall.* 3. Bart. *in L. Ex sententia ff. de Testam. Tut.* Bald. *in L. Iudices C. de fid. Instr. n. 2.* Jason. Corset. ac alios, quod delegatus cognoscere de sua jurisdictione potest, tamen si pars citata obijciat totius jurisdictionis defectum, seu asserat, nullam omnino ipsi competere: ordinarius est contrario id non potest, si iste defectus obijciatur, v. g. si pars citata obijciat, quod citans non sit legitimus Episcopus aut Praetor, adeoque omni jurisdictione careat. Rationem dant: quia delegatus omnia agit nomine delegantis, cujus jurisdictione cum fundata sit & in dubium non revocetur, habet etiam delegatus potestatem cognoscendi de eo, quod ab illo promanat, videlicet, utrum rescriptum delegationis validum sit nec ne. E contrario non est fundata jurisdictione ordinarij, si omnino negatur, ac idcirco deficit titulus, quo is sibi assumat potestatem cognoscendi: quae ratio etsi non satis firma

firma

firma videatur, cum dici possit, etiam in delegato corruere fundamentum jurisdictionis, si negatur, validam esse delegationem, sicut corrui, quando negatur ordinario, quod judicandi potestatem validè obtinuerit; nec enim apparet, quomodo delegato plus juris tribuat delegans per dubium valorem delegationis, quam ordinario Judici, v. g. Episcopo, dubius valor electionis & confirmationis: etsi, inquam, illa ratio parum firma videatur, opinio certè, pro qua affertur, communis est.

21. Sed siue ordinarius sit siue delegatus, cui obijcitur incompetencia, cognoscere de sua jurisdictione nequit. I. quando oppositio pugnat directè contra personam Judicis, ut si obijciatur defectus aliquis naturalis, qualis est amentia; vel accidentalis, uti est excommunicatio, suspensio, infamia, servitus, simoniaca promotio &c. II. si opponatur exceptio Judicis suspecti; nec enim de causa suspicionis cognoscere potest; cum hæc exceptio afficiat & inhabilem reddat Judicis personam. *L. litigatores ff. de arbitr. L. apertissimi. C. de iudic. C. cum inter de Except. Can. quia suspecti 3. q. 5.* III. si commodum non leve consecuturus esset pronuncian- do de sua competencia. Ita Panor. & Felin. *ll. cc. Bart in L. quidam consulebant ff. de Re iud. à n. 3. Anchar. in C. 4. de officio deleg. in 6. not. 3. Joan. Andr. in C. Pia de Except. in 6. ac teste Panor. communiter alij.* Ratio patet: quia de causa suspicionis sibi objectæ cognoscere Judex nequit: est autem in tali casu suspectus, nec præsumitur, quòd in suum detrimentum sit pronunciaturus. IV. si citatus ad Judicem secularem excipiat se esse Clericum: nec enim de dubio rei Clericatu, & an suæ jurisdictioni subjectus sit, cognoscere laicus potest, ac pronunciare, ut statuitur *C. si iudex 12. de sent. Excom. in 6. & tradunt Felin. in C. 14. de Rescript. n. 4. Ant. Butrio in C. 20. eodem & C. 12. de Foro compet. n. 14. Decius in C. cum ordinem de Rescr. in fin. ac alij omnes, & patet ex C. tuam 3. de ord. cognit. C. Lator 5. C. per venerabilem 13. qui filij sint legitimi.* V. Judex, saltem Ordinarius, ut paulò antè diximus, cognoscere de competencia sui fori non potest, si illa non

negatur tantum quoad causam aliquam vel casum particularem, sed omnimodè, sive si opponatur, quòd nullam omnino jurisdictionem habeat. Rationem cum Felino *cit. fall. 3. v. Considera.* dat Pet. Barbosa ad *L. 5. ff. de Iudic. n. 128.* quia si ordinario opponatur, quòd nullam omnino jurisdictionem habeat, sugillatur ipsius persona & aëtimatio, sicut quando dicitur suspectus, vel infamis, excommunicatus &c. & sic, quia de ejus commodo agitur, pronuntiare non potest: delegatus verò de una tantum causa cognoscit, quòd onus esse reputatur & non commodum *L. fin. §. judicandi ff. de Muner. & honor.* & sic non sugillatur ejus persona, si opponatur, quòd de hac causa cognoscere nequeat. Hæc ratio melior videtur illà, quam num. præc. impugnavimus, & ipsa tamen elidi forsan posset, si vacaret immorari. VI. Cognoscere de sui Fori competentia nequit Judex, ut loquitur Panor. *l. c. casu 4.* cum Innoc. ac alijs, si agitur non de nudo tantum exercitio, sed de proprietate subjectionis, quando v. g. citatus dicit, se esse exemptum & Judex negat. Rationem dant: quia multa sunt commoda subjectionis, ideo Judex in hac cognitione est suspectus. Verum hoc, nisi limitetur, apertè videtur pugnare cum *L. si quis 5. ff. de Iudic.* Itaque cum Felin. *in C. 20. de Rescript. n. 24. v. sed dicas*, Angelo *in L. 2. ff. si quis in jus vocat.* ac alijs dicendum est, tunc solum procedere, quando citans in citatum prætenderet non meram jurisdictionem judicialem, sed subjectionem quoad alias etiam obligationes & præstationes, sibi debitas tanquam domino territoriali, Episcopo &c. VII. Cognoscere de sua jurisdictione nequit Judex, quando se ipsum ingerit, ita ut pro illa contendat. Ita Panor. *l. c. cas. 6.* & reliqui omnes teste Felino *l. c. n. 26.* quia ex hoc redditur suspectus. *arg. L. quæ omnia ff. de Procurat.* Idem cum Ant. Butrio *in cit. C. 20. de Rescript.* & Felino *l. c. n. 27.* dicendum est de casu, quo excipitur, quòd locus contractus vel delicti non est de jurisdictione citantis: non enim cognoscere potest, si prætendit locum sibi subjectum esse quoad proprietatem, quia sic ultra jurisdictionem ferret commodum pronuntiando; secus,

secus, si solum prætendat subjectum sibi locum ratione nudæ jurisdictionis. VIII. Contendunt multi, quos refert & sequitur Delbene *de Immun. Eccl. c. 14. dub. 18. sect. 1.* si quis allegat privilegium exemptionis, non posse Episcopum de sua jurisdictione cognoscere. C. *cum venissent 12. de iudicijs* ibi *cum super privilegijs Sedis Apost. causa vertatur, nolumus de ipsis per alios judicari.* Verum, ut post Innoc. Dec. Panorm. ac alios bene observant Laym. *in cit. C. 12. n. 1.* & Chokier *de iurisdictione Ord. in Exempt. p. 2. q. 13.* ibi tantum dicitur, non posse inferiorem SS. Pontifice directè judicare de privilegio, illud declarando auctoritative; non tamen negatur, posse cognoscere incidenter & indirectè, quando partes super illo contendunt, v. g. an ritè allegetur, an fuerit subreptitium &c. quia sic non tam agitur de privilegio & jure Principis, quàm de privilegiato, ut declarat Baldus *in præmio feud. n. 18. § in c. 1. de lege Conradi.* Alias non paucas exceptiones, seu, ut vocat, fallentias affert Felin. *l. c.* ubi copiosissimè hac de re agit & more suo subtiliter. Verum illæ aut coincidunt cum prædictis aut erui inde non difficulter possunt.

22. Jam verò cum Judicis sit tam ordinarij quàm delegati in dubio de competentia sui fori (extra casus modò enarratos) discernere, consequens est, quòd si bona fide ac probabiliter pronunciat, se competentem esse, atque ab hac sententia interlocutoria non appellatur, processum & sententiam in causa principali valere; esto postea comperiatur, ipsum initio competentem non fuisse, uti cum communi docent Panorm. & Felin. *ll. cc.* Ratio patet: quia hoc ipso dum leges ipsi faciunt potestatem in dubio de sua jurisdictione cognoscendi & pronunciandi, sententiam ejusdem approbant, & defectum jurisdictionis in casibus, ubi suppleri potest, suppleant; nam aliàs frustra illam potestatem dedissent: ut adeò error probabilis hinc jus tribuat.

23. Aliquot tamen hinc rursus exceptiones faciendæ sunt: Nam per hujusmodi cognitionem non fundatur jurisdictio, & consequenter processus & sententia non valet primò: si delegato

commissio facta est à Superiore in causa ad suam jurisdictionem & potestatem non pertinente, v. g. si Princeps secularis alicui committat causam Ecclesiasticam, aut contra personam, quæ est extra ejus forum: tamen enim in hujusmodi casu delegatus etiam bona fide pronunciet se competentem esse, & in causa delegata procedat, acta nihilominus erunt irrita ob jurisdictionis defectum, quippe quam error, quantumvis probabilis, conferre non potest, si commissio facta non est ab habente potestatem, uti patet ex *L. si militaris 2. C. si à non compet.* & tradunt Interpretes ibi ac in *L. Barbarius ff. de offic. prat.* nisi talis delegatus sit aliàs ordinarius, & partes ultrò ipsi jurisdictionem prorogent. *L. 3. ff. de jurisdic.* Eadem est ratio de Judice ordinario, si de causa ad ipsum delata dubium vertatur, sitne sui fori Secularis an Ecclesiastici, ac ipse pronunciet, causam Ecclesiasticam non esse, cum talis reverà sit; acta enim ipsius & sententia erunt irrita, quia à non Judice, seu illo, cujus jurisdictio fundata non erat, processerunt, & sic discurrendum est de omni defectu in Judice, quem supplere nequit lex aut Superior, qui dedit Judicem vel delegatum vel ordinarium. Secundò. Etsi Judex delegatus ex causa verisimili arbitretur & pronunciet, se jus cognoscendi habere, irritum tamen erit ob defectum commissionis & acceptæ jurisdictionis, quidquid agitur, si rescriptum delegationis supposititiū est & falsum, seu si à legitimo Superiore, qui delegare potuit, non emanavit, aut emanavit ab eo, qui nequijt delegare. Ita Innoc. Joan. Andr. Butr. Panorm. Bart. ac alij teste Felino *l. c. n. 29.* omnes, estque receptum inter Interpr. ut ait Jason in *L. prescript. ff. si contra jus n. 24.* quia auctor falsi rescripti non potuit dare jurisdictionem. *L. privatorum C. de jurisd. om. jud.* & quamvis Bart. in *cit. L. prescriptione* asserat, hoc duntaxat verum esse, quando falsitas rescripti est manifesta; si verò manifesta non sit, delegatum constitui in quasi possessione jurisdictionis: id tamen à Baldo ac alijs communiter reprobatum, quia cum in tali casu is, qui rescriptum finxit, sit persona merè privata, & sic nec coloratus quidem titulus detur, qui
tamen

tamen in istis incorporalibus requiritur *L. 2. ff. de eo qui pro tut.* non potest quisquam vi illius constitui in quasi possessione jurisdictionis. Dixi *si rescriptum est supposititium & falsum*: nam si emanavit à Principe, tametsi sub vel obreptitiè, valebit sententia, vi illius lata à delegato, ut cum Innoc. ac communi aliorum tenet ac fusè probat Felin. *l. c. n. 30.*

24. Verùm ex dictis dubia nonnulla oriuntur. Primum est, an valeant acta Judicis, qui pro sua jurisdictione pronuntiavit, certus eam sibi non competere. Affirmant Bart. *l. c. n. 6. & ibid. Jason n. 26. Decius in c. 20. de Rescript. & Vasconellus L. 1. c. 5. n. 7.* Negant cum Hostiens. Cardin. Panor. Lapo, ac alijs Felin. *in cit. c. 20. n. 25. & 31. Math. de Afflictis decis. 354. n. 16. Pet. Barbosa in L. siquis 5. ff. de iudic. n. 108.* Hæc posterior opinio præplacet *arg. c. si duobus 7. de Appell.* ubi cum approbata fuisset sententia excommunicationis contra quendam, qui ad Papam appellarat, tanquam contra contumacem ab Episcopo lata, additur: *nisi iudex cognoverit, eum ad audientiam Rom. Pontificis appellasse.* Ex quo infertur, non valere sententiam Judicis scientis, se ex defectu jurisdictionis eam ferre non posse. Excipe: nisi habeat pro se titulum coloratum & communi errore Judex esse existimetur, aut pars sciens ipsi non competere jurisdictionem vel de hoc dubitans eam proroget: nam si alterutrum contingeret, valida haud dubiè forent acta talis Judicis, juxta ea, quæ tradunt Interpr. *in cit. L. Barbarius ff. de offic. prætor. ac ea, quæ infra de prorogatione dicturi sumus.* Quæ modò dicta sunt, juxta Hostiens. *in cit. c. 7. & Felin. ibid. n. 15.* non tantum procedunt, si Judici manifestum est se nullam jurisdictionem habere, sed etiam, si se habere existimat ex ignorantia affectata, supina, vel aliàs inexcusabili. Econtrario facile convenit inter DD. valere ejus sententiam, si probabili errore ductus ignorat se esse incompetentem, tametsi id notum sit partibus.

25. Secundò dubitatur, an ad hoc, ut jurisdictio Judicis incompetentis fundetur per pronuntiationem pro competentia, &
acta

acta ejusdem valeant, requiratur pronuntiatio expressa, an verò sufficiat tacita, qualis est, si neglecta exceptione incompetentiæ in causa principali procedit. Tenendum est cum Baldo, Butr. Innoc. Imola, Panorm. ac alijs, quos refert & sequitur Felin. in *C. suborta 21. de Appell.* & *C. 20. de Rescript. n. 34.* requiri expressam pronuntiationem. Ubi tamen tres ferè casus excipiunt, qui principalem responsionem ferè totam evertunt. Primus est, quando Judex processit ad ulteriora parte præsentè & defectum jurisdictionis non opponente. Alter, si jurisdictio non est omnino nulla, sed solùm hîc & nunc elidi potest per exceptionem. Tertius, quando Judex audita exceptione, pronuntiavit eâ non obstante procedendum in causa principali. His, inquam, casibus valebit sententia, tametsi is non expressè definierit, se esse competentem. Neque aliud voluisse videntur Anchar. Angel. ac alij, qui dixerunt, non esse necessarium, ut expressè pronuntietur super competentia. Extra memoratos casus si procedat ad sententiam, processus erit nullus, juxta Ant. de Butr. in *c. 20. de Rescript. n. 37. Castr. in L. 2 ff. si quis in jus voc. n. 10.* & Jason. *ibid. n. 45* Ruin. *vol. 5. consil. 114. n. 19.* ubi testatur de communi, Marfil. Pacian. ac alios, quos refert Zanger. *de Except. c. 1. p. 2. n. 448.*

26. Tertiò dubitatur, an à sententia, quâ Judex in dubio se competentem esse pronuntiavit, appellari possit. Ratio negandi est, quia hæc sententia est interlocutoria; ab interlocutoria autem non datur appellatio, seu jus civile spectemus *L. 36. C. b. t. L. 7. C. quor. appell. non recip. L. 16. C. de Iudic. L. 2. ff. de Appell. recip.* sive jus novum Trident. Concilij *sess. 13. c. 1. & sess. 24. c. 20. de Refor.* quo jus antiquum *C. 5. 12. & 60. de Appell. & C. 1. de Dilat.* correctum est. Affirmandum nihilominus est cum Glossa in *auth. Habita C. ne filius pro patre V. ferè*, ab omnibus approbata. Sumitur ex *C. significante 34. de Præscr.* Ratio patet: quia etsi hæc sententia sit solùm interlocutoria, à qua regulariter appellari nequit, habet tamen vim definitivæ, quia
grā

gravamen adfert, quod per definitivam reparari non possit: talis autem si sit interlocutoria, appellatio conceditur, ut constat ex modo citatis juribus. Facienda tamen est non viva voce, sed scripto, simulque causa appellandi exprimi debet: cum hoc requiratur ad appellationem ab Interlocutoria. *C. Cordi de Appell. in 6.* A fortiori appellari potest à sententia incompetentiæ, cum hæc juxta multos sit definitiva, cum post eam non speretur alia sententia; Judex enim eo ipso, quod incompetentem se pronunciat, omnem jurisdictionem quoad illam causam à se abdicat. Et idcirco juxta hanc opinionem appellari ab ea potest viva voce, & causam non expressam. In Camera Imperiali, teste Gaillo *L. 1. obs. 130. n. 10.* differentia inter appellationes super competentia & incompetentiâ non observatur, sed utraque indistinctè viva voce & in continenti facta recipitur. Addunt Crotus in *C. 1. de Rescr. in 6. n. 17.* & Gomez *ibid. n. 61.* à sententiâ competentis appellationem fieri quocumque tempore posse, eò quod gravamen successivum contineat. Verùm hæc opinio ab alijs merito reprobat: si enim is, contra quem illa lata est, à die notitiæ intra decem dies non appellat, censetur illam approbasse. *L. ab eodem C. quomodo & quando Iudex.* Neque verum est, hujusmodi gravamen esse successivum & continuum, sicuti est, quando quis est incarceratus aut immisionem in sua bona passus, & Judex nondum pronuntiavit incarcerationem aut immisionem esse justam. Illud opinioni Gomezij concedendum videtur juxta *C. ult. de Appell. in 6.* quòd si pars postea appellarit à sententiâ lata ab eodem Judice in causa principali, Judex ad quem etiam de ea sententiâ, quâ Judex à quo se competentem pronuntiavit, cognoscere possit & pronunciare: dummodo appellans gravamen illud proponat in actis ad Superiorem, ut *cit. C. ult.* cavetur; secus enim quasi sententiæ interlocutoris acquieverit, tractari de ea amplius non potest.

27. Quartum dubium & magna inter Jurisconsultos controversia est, an ad obtinendos processus à Judice sufficiat narratio
 D quali-

qualitatis, quæ jurisdictionem tribuit; an verò necessaria sit cognitio super allegata illa qualitate, priusquam litis contestatio parti adversæ injungatur. Hoc ultimum affirmant multi, quos referunt Mynsing. *cent. 2. obs. 9. n. 1.* Tiraquel. *L. 1. Retract. §. 8. Gloss. 5. n. 19.* Petr. Barbosa in *L. si quis 5. ff. de iudic. n. 132.* & communem sententiam dicit Felin. in *C. si Clericus de Foro comp.* Negant pariter multi, quos adducunt iisdem Tiraq. *n. 18.* Mynsing. *n. 7.* Barbosa *n. 133.* Nituntur isti textu *L. cum quædam puella 19. in fin. ff. de iurisdict. & L. ordinata 24. ff. de liberali caus.* Quidquid sit de Jure scripto, posteriorem hanc opinionem in judicijs præxi receptam esse aiunt *addit. Capell. Tholos. q. 210.* & in Camera Imp. pro regula observari ait Gail. *L. 1. obs. 31. n. 1.* quòd in extrahendis seu decernendis processibus ad fundandam jurisdictionem stetur narratis supplicantis, donec in processu causæ contrarium probetur, idque tam in causis simplicis querelæ quàm appellationum. Mihi in hac controversia videtur distinctione opus esse, quam facit Laym. in *C. si Clericus 5. de Foro comp.* Vel qualitas fundans jurisdictionem, v. g. contractus aut delictum, quæstioni principali intrinseca est, seu principaliter in iudicium deducitur, uti fit, si v. g. Clericus laicum accuset, quòd aliquid ex Ecclesia surripuerit, aut si convenitur extraneus de delicto hic commissio vel contractu inito. Et tunc sufficit, hujusmodi qualitatem ab actore allegari, nec reus crimen vel contractum negare potest in ordine ad declinandum forum hujus Judicis, cum hæc ipsa causa & quæstio directè in iudicium deducatur, & super ea lis contestanda sit. Vel qualitas fundans jurisdictionem Judicis deducitur in iudicium non principaliter, ideòque controversiæ non est intrinseca, sed accessoria, v. g. si reus excipiat, se extra territorium contraxisse aut deliquisse, tunc de hujusmodi qualitate jurisdictionem fundante priùs saltem summarie cognoscendum, vel extrajudicialis informatio capienda, antequam ad causam principalem deveniatur. Ita sentiunt DD. pro utraque opinione allegati, si bene eorum dicta ponderentur, nec plus probant rationes & jura ab iisdem adducta.

28. Sunt tamen casus nonnulli, in quibus ad solam partis allegationem nunquam procedere Judex potest. Primò, quando Judici notorium est, narrata esse falsa: tunc enim ad litem contestandam cogendus non est reus, & neque citandus, cum hoc non foret aliud, quàm gratis & siciniquè vexare reum. Unde Judex attendere debet notorium, tametsi à parte nec probatum nec allegatum sit. De quo Gaill. *l. c. n. 4.* & Mynsing. *cent. 6. obs. 3.* Secundò in causa denegatæ justitiæ non sufficit ad obtinendum processum seu citationem narratio denegatæ justitiæ, sed probatione opus est, ex qua de denegatione constare possit. *L. 2. C. de Offic. civ. jud. L. 1. C. de susceptor.* quia in iudice non præsumitur negligentia, nisi probata fuerit legitima requisitio. *cit. L. 2. § 1.* fuse Gaill. *L. 1. obs. 28.* Tertiò in Camera Imper. ad petitionem partis juramentum sibi relaxari postulantis non statim ad ejus narrata citatur adversarius, qui juramentum extorsit, sed Magistratus loci pro facti informatione primò rescribitur cum in finem, ut saltem summarie de veritate narratorum appareat. Gaill. *L. 1. obs. 22. n. 4. § obs. 31. n. 7.* Quartò in eadem Camera ad appellationem pauperum non statim citatio decernitur, sed compulsoriales contra Judicem à quo decernuntur ad edendum acta, ut ijs obiter examinatis statuatur, utrum processus denegandus sit an non. Gaill. *cit. obs. 31. n. 8. § obs. 142. n. 7.*

29. Quintum denique dubium est, an si Judex se incompetentem pronuntiavit, partem victam in expensas & damna juxta *L. properandum 13. §. 6. C. de judic.* condemnare possit. Ratio negandi esse potest: quia condemnare in expensas, æquè ac alios actus judiciales exercere, est Judicis duntaxat competentis: atqui ille, qui se incompetentem pronuntiavit, non est competens, ac idcirco in causa ad se delata procedere nequit. Hac tamen ratione non obstante affirmans sententia statuitur in *Clem. 1. de Rescript. V. si quis autem*, & post Anchar. Panorm. Card. Zabarella, ac alios ibi tradunt Alagona & Aug. Barbofan. *1. § 2. Item C. statutum 11. cod. §. V. Iudex ipse.* Ratio patet: quia quoad cognitionem

tionem competentia & incompetentia est Judex competens, ac per consequens quoad condemnationem expensarum & damnorum tanquam connexam iudicio competentia & incompetentia, ut in L. 2. ff. *siquis in jus vocat.* notant Bartol. n. 13. & Fulgof. n. 11.

CAPUT III.

De Limitibus Fori Competentis.

§. I.

An Judex extra suum territorium existens jurisdictionem in subditos exercere possit.

SUMMARIUM.

30. Extra territorium iurisdictionis nulla est.
31. Neque extra illud exerceri etiam in subditos potest.
32. Nec isti extra illud comparere tenentur.
33. Nisi in id consenserint cum licentia iudicis territorij alieni.
34. Aut iudex proprius alibi quidem habitet, hic tamen, ubi subditus est, iurisdictionem habeat.
35. Aut iudex Ecclesiasticus à proprio territorio & Diocesi fuerit injustè expulsus.
36. Aut causa non requirat iudicalem cognitionem.
37. Potest Superior extra suum territorium delegare iurisdictionem intra illud exercendam.
38. Et statutum extra illud facere valiturum intra illud.
39. Ac in notorijs contra subditum procedere.
40. Atque censuram in eum ferre, quæ causæ cognitionem & citationem non requirit.
41. Ius dicens in alieno territorio sequitur statuta & stylum proprii.

30. Sicut nullum forum respectu cuiusvis personæ & causæ competens est, ut diximus n. 4. & 10. ita nec quocunque terrarum extenditur, sed certis locorum limitibus constringitur, cer-

certoque territorio, quod ab eo dictum quidam putant, quod magistratus ejus loci intra eos fines terrendi, id est, submovendi jus habet, inquit Pompon. *L. Pupillus 239. §. 8. ff. de V. S.* si Forum Sacrum Ecclesie excipias: per hanc enim Christus, jam olim id prævidente Davide *Psal. 71. v. 8.* dominatur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Jurisdictio itaque extra territorium nulla est, & extra illud jus dicens est instar privati. *L. 3. ff. de offic. Præsid. L. observare §. Ingressus ff. de offic. procons.* Unde cum Hier. de Monte *tr. de fin. regund. c. 77. n. 1. Natta tom. 1. consil. 149. n. 19.* ac alij aiunt, jurisdictionem radicatum esse in territorio, sicut nebula super palude, ut ab eo avelli nequeat. Verùm quamvis regula certa esse videatur, quod forum competens ultra territorium non porrigatur, seu jurisdictione extra illud exerceri nequeat, explicanda tamen est, cum & ipsa, sicut ferè reliquæ, suas patiatur & difficultates, & limitationes. Itaque primò agemus de jurisdictione Contentiosa, tum de Voluntaria.

31. De Contentiosa igitur Jurisdictione quaeritur I. An Judex, si existat extra suum territorium, eam exercere possit in suos subditos, de ipsorum delictis, contractibus &c. cognoscendo & judicando. Responsio communis & certa DD. est negativa ex *L. ult. ff. de jurisdict. L. 3. ff. de offic. præsid. C. 2. in fin. de Constitut. in 6. Clem. 1. de Foro comp.* Procedit hæc regula etiam tunc, quando is existit quidem in suo territorio, in loco tamen illius exempto. *C. cum Episcopus 7. de Offic. Ordin. in 6. & Gloss. ac DD. ibi.* Nam paria sunt esse in loco exempto, & esse extra territorium. Jason & Decius *in cit. L. Felin. in c. grave de Offic. ordin. n. 2.* Procedit item, tametsi Judex alieni territorij consentiat: nam nisi etiam subditi consentiant, jus ipsis dicere nequit, cum inviti extra territorium trahi nequeant. *Can. 3. V. Nisi vocatus §. C. 7. V. Nisi cum voluntate 9. q. 2. & extra territorium jus dicenti impunè non pareatur cit. L. ult. ff. de jurisdict.* Procedit denique, si subditi sint in proprio territorio siue cum suo iudice in alieno. Zasius *in*

sit. L. ult. n. 3. qui ibidem varia corollaria ex data regula deducit, non improbante Laym. *in C. 2. de Consuet. in 6. n. 4. I.* Si Archiepiscopus in sui Suffraganei seu subjecti Episcopi dioecesi fortè commorans, ibi causas per appellationem ad se devolutas tractare velit, excipi potest, quòd extra dioecesin jus dicenti impunè non pareatur. Verùm refragantur alij, nominatim Seraphin. *decis 1138.* Barbosa *p. 1. de Offic. Episc. tit. 4. n. 61. & L. 1. iur. Eccl. c. 7. n. 59. & 60.* ipsèque Laym. *in C. 5. de Offic. ordin. in 6. n. 1. &* causas appellationum ab Archiepiscopo etiam in dioecesi Episcopi, à quo provocatum est, decidi posse meritò asserunt, cùm id decisum sit *cit. C. ut litigantes 5. de Offic. Ordin. in 6. &* quidem absque consensu Episcopi & partis provocatæ, ut ex *eod. cap.* manifestum est. II. Si Universitas Studiorum tempore pestis vel belli aliò commigret, Rector in aliena civitate ac velut extra suum territorium, inter Studiosos jus dicere non potest: nisi nova promissione aut juramento se obligent ac subijciant, etiam in ordine ad illum locum. Verùm etiam istud falsum esse censeo, casu, quo Universitas vel Principis auctoritate vel consensu Magistrorum aliò migrat, quamvis solùm ad tempus, ac Studiorum prosecutio ibi fiat: tunc enim ibi est Universitas; hæc autem ubi est, ibi Rector suum quasi territorium habet. Aliud foret, si Rector & Studiosi in aliquo loco convenirent alia de causa ac velut fortuito & non constituendi ibi Musarum domicilij. III. Qui bannitum ex territorio proscriptum, offendendi facultate concessâ, extra territorium offendit, puniri potest. Hæc benè juxta doctrinam Baldi *in L. 1. n. 6. ff. de hered. instit.* ac aliorum, quòd sententia banni non excedat territorium bannientis seu proscriptentis. IV. Ministri judicis criminofum fugientem extra territorium, ultra illud & in alieno persequi non possunt, multò minus capere. Sic quoque communis cum Baldo *in c. olim. de Dolo & contum.* Bartol. *in L. quod ait lex pr. ff. ad L. Iul. de adult.* Verùm de hoc plura infra.

32. Ex dictis consequens est, non posse subditum à Judice sui domicilij citari extra territorium seu locum sui domicilij, seu ut

in

in alieno territorio compareat: quia citare est exercere jurisdictionem, *Clem. Pastoralis de sent. & re jud. L. cum Clericis 25. & L. omnes 33. C. de Episcopis & Cler.* at jurisdictione, ut modò dictum est, extra territorium exerceri nequit. Unde *cit. Clem.* deciditur, sententiam latam contra citatum extra citantis territorium existentem ipso jure nullam esse. Diximus, non posse subditum à Judice domicilij extra locum domicilij citari: utrum autem & quomodo extraneus citari possit ad forum Contractus, Delicti, ac Rei sitæ, proprio loco dicetur, quando agemus de foro Contractus, Domicilij, ac Rei sitæ.

33. Regula sic declarata non uno modo limitanda est. Primus est, quem modò diximus, posse videlicet Judicem in alieno territorio jus dicere, si & partes & Judex alieni territorij consentiunt. Et quamvis aliqui ultimum hunc consensum necessarium esse negent, requirunt tamen alij, quos magno numero adducunt *Oli-va de Foro Eccl. p. 3. q. 2. n. 4. & Sanch. de Matr. L. 3. disp. 19. n. 8.* quia in alterius territorio absque consensu proprii Judicis jurisdictionem exercens videtur injuriam illi inferre. *arg. L. 3. ff. de Offic. præf. urb. & L. 13. §. fin. ff. de Injur.* Sufficit tamen consensus tacitus, videlicet si utraque pars litigans, & territorij Judex sciant, ab illo alieno jurisdictionis exercitium parari, & cum possent, non contradicant. *arg. L. sæpè ff. de Re judic. & L. Cajus ff. de pignor. action. Alex. in L. fin. ff. de Jurisd. n. 8. Ugol. de Censur. tab. 1. c. 27. §. 1. n. 5.* Neque obstat textus *C. statuimus. 11. §. in nullo de Rescript. in 6.* ubi requiritur consensus expressus: quia præterquam quòd ibi agitur de quodam speciali casu, sermo est non de ordinario Judice, sed de delegato, cujus potestas longè arctior est, & solùm tanta, quantam esse vult delegans.

34. Secundò limitat *Oli-va l. c. n. 6.* atque ex *Innoc. Panor. & Butrio in C. Norvit de Offic. legati, Bartol. in L. un. C. de Metrop. Berit. Castr. in cit. L. ult. ff. de Jurisdic.* *Jasone, Decio & alijs,* posse Judicem, qui duo habet territoria, si existat in uno, jurisdictionem exercere in alio, id est, in subditos illius territorij,
in

in quo non residet. Verùm cit. DD. loquuntur de casu, quo quis plures regiones sub sua jurisdictione continet, ut Imperator provincias Germaniæ, Legatus Pontificius plures dioeceses &c. quæ tamen ratione non habet plura & distincta territoria, & sic dum residens in Austria jus dicit existentibus in Suevia aut Bavaria, jurisdictionem non exercet extra territorium, quod vetat illa, quam n. 31. attulimus, regula.

35. Tertia, eaque propriè dicta, limitatio est, quòd juxta *Clem. 1. de Foro comp.* Episcopi, & consequenter etiam Archiepiscopi & Primates, vi injusta è sua dioecesi expulsi, si in aliqua ejus parte nec per se nec per suos Vicarios jurisdictionem exercere valent, id possint in aliqua alieni territorij civitate vel loco insigni viciniore; licentiã tamen Ordinarij illius loci prius petita, licet non obtenta. Quod cum concessum sit Episcopis propter ipsorum dignitatem, non facta mentione Prælatorum inferiorum, idcirco ad hos Clementinæ privilegium non extenditur. Glossa *ibi V. Episcopis*, Cardin. n. 13. Anchar. n. 3. Imò ob datam rationem probabilius est, non posse extendi ad Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes: de quo fusè Oliva *l. c. à n. 10.* Sed & Episcopi in alieno territorio judicare queunt solum illos, qui subditi ipsis sunt ratione domicilij; non verò eos, qui contractum in ipsorum dioecesi inierunt, aut delictum commiserunt. Gloss. *in cit. Clem. V. subditos* communiter recepta, Anchar. n. 12. Card. *in §. Eisdem V. quinto quæro.* Non tamen necesse esse videtur, uti requirunt cit. Gloss. & Card. utrumque litigantem esse subditum Episcopo; sed sufficit subditum esse reum, ut tenet Panor. *in cit. Clem. V. an autem*, & latè defendit Oliva *l. c. à n. 14.*

36. Quartò limitanda est supra posita regula, & dicendum, posse extra territorium expediri causas, quæ non requirunt cognitionem judicialem, sed solum extrajudicialem informationem, & ubi partium contentio non est. Gloss. *V. Terminos* Joan. Andr. Anchar. Card. Panor. ac alij *in C. Novit. de Offic. Legati.* Bald. Castr.

Castr. Jaf. & Decius in *L. ult. ff. de. Jurisd.* Silvester *V. Absolutio*,
n. 4. Sayrus *L. 1. c. 14. n. 6. & L. 2. c. 21.* ac alij. Exemplum in
 dispensatione denuntiationis matrimonialis ponit Sanch. *L. 3. de*
Matr. disp. 8. n. 4. & aliud Menoch. *L. 1. arbitr. q. 19. n. 10.* de
 Judice, qui liberum & absolutum arbitrium habet, ac idcirco sine
 causæ cognitione procedere potest. Quòd si Judex ad hoc, ut
 extra territorium possit procedere, vellet procedere absque causæ
 cognitione & citatione partis, ubi hæc requiritur, processus fo-
 ret nullus, cum citatio partis sit fundamentum jurisdictionis con-
 tentiosæ & cognitionis judicialis. *§. fin. Inst. de pœn. tem. litig. &*
parte non citata processus sit nullus.

37. Quintò Tametsi Judex de causa ad contentiosam juris-
 dictionem pertinente extra suum territorium cognoscere nequit,
 poterit tamen juxta Gloss. *V. sed delegare*, Corrasium, Brunne-
 man. ac alios in *L. fin. ff. de Offic. præf. Urb.* Zasium in *L. ult. ff. de*
Jurisdic. n. 19. Oliva *cit. q. 2. n. 20.* Struvium *exercit. 4. tit. 12.*
in fin. illam alteri delegare, ut intraterritorium de ea cognosca-
 tur. Ita enim *cit. L. ult.* loquitur Ulpianus: *præfectus urbi, cum*
terminos urbis exierit, potestatem non habet: extra urbem potest
jubere judicare. Sensus juxta prædictos Interrpp. est, posse, dum
 existit extra urbem, aliquem delegare, qui judicet intra urbem.
 Non ignoro variè & legi & exponi hanc legem: aliqui enim
 aiunt, omissam esse particulam *Nec*, & legendum esse *nec extra*
urbem, & ita se reperisse in quodam manuscripto testatur Go-
 thofredi *ibid.* Emendat Hotoman. *L. 4. obs. 13.* legitque *intra ur-*
bem. Alij denique verba *extra urbem* connectunt non verbo *ju-*
bere, sed *judicare*, ita ut sensus sit, si intra urbem est, judicem
 dare posse, qui extra urbem judicet intra centensimum lapidem.
 Illud verum est, quod notat Glossa ab omnibus recepta in *C. No-*
vit de Offic. legati V. omnibus, non posse cogi subditos ad ac-
 ceptandam hujusmodi delegationem. Ratio est, quia, ut su-
 præ diximus, Judici extra territorium existenti subjectio non de-
 betur, & absens regulariter habetur tanquam privatus. Unde si-
 cut

cut invitus delegari nequit, qui non est subditus juxta *c. Pastoralis 11. de Offic. Ordin.* ita ob eandem rationem non potest contra invitos fieri delegatio

38. Sextò Princeps extra territorium existens statutum facere potest, ut sentiunt Lopus in *C. 2. de Constit. in 6. Franc. in C. Romana 5. §. Caveat de sent. Excomm.* quia statutum non requirit cognitionem judiciale, neque ut statuens sedeat pro tribunali, licet pertineat ad jurisdictionem contentiosam, quia invitos subditos ligat.

39. Septimò Judex extra territorium existens potest contra subditum procedere in notorijs, juxta Hostiens. Joan. Andr. Panor. Anchar. & Cardin. in *C. Novit de Offic. Legati.* Rationem dant: quia in notorijs non requiritur causæ cognitio. *C. evidentia de accus. & Can. Manifesta 15. 11. q. 1.* nec in notorijs requiritur citatio. *C. cum sit Romana §. præterea de appell.* Contrarium tenent Imola in *cit. C. Novit.* Jason in *L. ult. ff. de Iudic. n. 23.* & Decius *n. 24.* opposito ducti fundamento, quòd videlicet etiam in notorijs opus sit citatione. Verùm hoc plerique alij rejiciunt, & citationem necessariam esse negant, si factum est notorium, & certum simul ac notorium est, absenti nullam defensionem competere. Quia finis citationis est, ut citatus se possit defendere; hic autem finis cessat, quando notorium est, nullum reo effugium & defensionem competere. Excipiunt sententiam censuræ: hanc enim negant ferri posse absque citatione, tametsi crimen, ob quòd ferenda sit, negari ab notorietatem nequeat, eò quòd præter crimen etiam contumacia requiratur, hæc autem absque monitione & citatione non detur. Verùm fieri potest, ut & contumacia sit notoria, eò quòd delinquens jam antè monitus perseverarit in delicto, quo casu absque alia citatione excommunicari poterit, ut patet ex *C. 1. de Iudic.* & notant ibi Panor. *n. 38.* ac Decius *n. 25.*

40. Ex dictis inferitur, quid respondendum sit ad celeberrimam & agitatissimam controversiam, quâ quæritur, utrùm Præ-
latus

latus absens à suo territorio ferre in subditos censuram possit. Dicendum enim est, ferre posse, si opus non est causæ cognitione aut citatione; secus, si hac opus sit, uti plerumque est. Videri possunt Navarr. in *Man. c. 27. n. 27. n. 6.* & in *C. cum contingat 2. caus. nullit. n. 5. de Rescript. Suar. de Censur. disp. 5. sect. 4. & disp. 7. sect. 3.* Sayrus *L. 1. thesaur. c. 14. n. 4. & 6.* Oliva de *Foro Eccl. p. 3. q. 2. à n. 24.* Delbene de *Immun. Eccl. c. 12. dub. 6.* Mihi non vacat rem pluribus examinare. Uti nec illud, an valeat absolutio à censuris facta ab Episcopo extra Dioecesin existente. Breviter dicendum est cum communi DD. quos allegat Oliva *l. c. n. 47.* valere, si fiat absque cognitione judiciali; secus, si ista adhibeatur.

41. Cum in recensitis modò casibus extra suum territorium jus dicere possit Judex, quæstio est, an si id facit, facere debeat juxta statuta & consuetudinem ac stylum alieni territorij, in quo nunc jurisdictionem exercet, an proprij. Respondet Glossa in *cit. Clem. un. de Foro comp. V. omnimodam*, eamque secutus Anchar. *n. 13.* Card. *S. iisdem n. 3.* & Bald. in *L. ult. ff. de jurisd. de* bere judicare juxta statuta & stylum sui territorij: tametsi enim Judex in ijs, quæ ordinem judicij requirunt, servare debeat leges illius fori, in quo cognoscit, ut asserit communis sententia cum Anchar. *l. c. Panor. in C. quod Clericis de Foro comp. n. 10.* Bart. in *L. cunctos populos C. de SS. Trin. n. 48.* quia tamen jus dicens in alieno territorio fingitur esse in proprio, eo ipso, quod est proprius horum litigantium Judex & non alienus, idcirco sicut stare deberet statutis sui territorij, si in isto jus diceret, ita pariter, si dicit in alieno.

§. II.

An Lex & Præceptum ferri possit subditis in alieno territorio existentibus.

S U M M A R I U M.

42. *Multiplex quæstio proponitur.*

E 2

43. *Sta-*

43. *Statutum territorij non obligat subditum alibi existentem.*
 44. *Neque Sententia Generalis.*
 45. *Neque Præceptum.*
 46. *Eadem est ratio de loco intra proprium territorium exempto.*
 47. *Eadem de Legibus extra territorium non vigentibus.*
 48. *Eadem de rebus extra territorium jus dicentis existentibus.*
 49. *Disponens tamen in hoc territorio ligatur ejus statutis circa res etiam alibi sitas.*
 50. *Subditi Superioris, jurisdictionem independentem à territorio habentis, ubique ejus præceptis & statutis ligantur.*
 51. *Quin & alij, si alibi sui Superioris nomine versentur.*
 52. *Aut si delictum, quod alibi committunt, afficiat proprium ipsorum territorium.*
 53. *Possunt subditi abire extra territorium, ut ejus se statutis subtrahant.*

42. Dixi modò, Judicem in alieno territorio existentem non habere ibi forum competens etiam respectu suorum subditorum, sive isti pariter in alieno territorio existant, sive in proprio: seu, quod idem est, non posse per se loquendo Judicem in alieno territorio jurisdictionem contentiosam (de qua modò solà hîc loquimur) exercere in suos subditos. E contrario nunc inquirendum est, utrùm existens in suo territorio exercere illam possit in suos subditos alibi existentes. Quæstio autem multiplex est. Prima de Legibus & Statutis, utrùm videlicet subditi extra locum sui domicilij existentes, ejus legibus & statutis obligentur. Secunda de Præceptis: præceptum enim, si propriè & specificè sumatur, à lege & statuto distingui notum est: quia regulariter non fertur communitati, uti lex & statutum, sed particularibus personis, uni vel pluribus; & Superioris potestate vel per mortem vel aliàs finitâ extinguitur, cum è contrario lex sit stabilis & ultra mortem legislatoris ac semper duret, nisi ab eodem vel successore revocetur aut consuetudine abrogetur. Ac denique præceptum ferri potest à Prælati inferioribus, usque Superioribus,

bus, qui constitutionem & legem ferre nequeunt. Tertia est de Sententia, quæ à Superiore tanquam Judice cognitâ causâ fertur. Quarta de Citatione, & similibus actibus judicialibus. Addunt Franc. in *C. Romana §. Carveant de sent. Excomm. in 6.* Suar. de *Censur. disp. 5. sect. 5.* Oliva de *foro Eccl. p. 3. q. 5.* ac alij, Sententiam extrajudicialem. Cujus exemplum dant ex *C. à nobis 21. de sent. Excomm.* si videlicet Episcopus dicat *Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit.* Hujusmodi Sententia, quam dicunt generalem, quò distinguant à speciali, quæ fertur contra unum vel plures particulares, v. g. si hoc feceris, multam solves &c. Hæc, inquam, generalis Sententia quamvis reipsa non videatur distinguui à Statuto vel Lege, si pro Communitate fertur & non super uno alterove actu particulari: discrimen tamen juxta cit. DD. hoc est, quòd per Statutum prohibetur actus, simulque poena transgressori statuitur; Sententiâ verò generali supponitur actus aliunde prohibitus, & solum poena dicitur. Quòd si actus aliquis particularis præcipitur omnibus de Communitate, v. g. si post certum aliquod delictum commissum, v. g. furtum aut conspirationem, edictum promulgetur, ut qui reum noverit, manifestet, erit præceptum generale, quale præceptum distinctum à statuto & lege, & finiendum cum præcipientis vita ac auctoritate, dari supponunt DD. ut patet ex ijs, quæ post Panor. Felin. Franc. Decium ac alios tradunt Sanchez *L. 8. de Matr. disp. 28. n. 7.* Silvester *V. Delegatus q. 6. n. 7.* & *V. Mandatum q. 3.* Suar. & Oliva *ll. cc.*

43. Igitur primò dubitatur, utrùm leges & statuta obligent subditos extra forum sui domicilij & territorium, ubi lex lata est, existentes. Nego cum plurimis, quorum ingentes catalogos texunt Covarr. in *C. Alma de sent. Excomm. in 6. p. 1. §. 10. n. 3.* & Salas *disp. 14. de leg. sect. 5. n. 60.* Affirmat Bartol. in *L. cunctos populos C. de SS. Trin. n. 48.* asserens, statuto generali punitivo, ut vocat, seu quo poena infligitur, ligari subditos etiam extra territorium, si Superior illud expresse fecerit etiam contra

delinquentes extra territorium. Cum hac Bartoli sententia omnes transeunt, ait Rochus Curt. *de Consuet. q. 13.* sed fallitur, cum plurimi teneant contrarium. Sed neque defendi potest, ut Covarr. *l. c.* loquitur, cum *L. ult. ff. de Jurisdic. & C. ut animarum 2. de Constit. in 6.* expressè dicatur, extra territorium jus dicenti impunè non pareri: nam JC. & Pontifex ibi non defectui voluntatis, sed defectui potestatis Superioris statutum ferentis, tribuunt, quòd ejus statutum extra territorium non obliget; ergo quamvis Superior declaret se aliud velle, nihil operabitur, quia non habet potestatem. Nec favet sententiæ Bartoli *text. L. ult. ff. de Decret. ab ord. facien.* ut benè ostendunt Covarr. *l. c.* & Navarr. *in Manuali c. 27. n. 27. 3.* eúmque malè translatum aiunt ex græco in latinum: nec *L. 2. C. de Evnuchis*; quia etsi ibi jubeat Imperator, *Romanæ gentis homines, sive in Barbaro sive in Romano solo Evnuchos factos, nullatenus quolibet modo ad dominium cujusquam transferri*, non tamen hinc sequitur, evnuchos in Barbaro solo seu extra limites jurisdictionis Imperatoriæ transferri in dominium seu vendi non posse, cum verba ista *in Barbaro solo* non pertineant ad venditionem, ut vult Bartolus, sed ad locum, quo evnuchi facti sunt.

44. Hinc verò assero secundò cum Franco *l. c.* Butrio *in cit. C. 21. de sent. Excomm. Gemin. in cit. C. 2. de constit. in 6.* Navarro. *l. c.* aliisque, quos referunt & sequuntur Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 1.* ac Oliva *l. c. n. 2.* contra Innoc. *in cit. c. 21.* & Suar. *de Censur. disp. 5. sect. 5. n. 5.* neque Sententiã generali, de qua paulò antè *n. 42.* tametsi vim statuti non habeat, sed solum præcepti, ligari subditos extra territorium præceptum ferentis existentes: quia etiam hîc valet prædicta regula, extra territorium jus dicenti impunè non pareri.

45. Unde ulteriùs assero tertiò, etiam præcepto particulari non ligari subditos extra territorium existentes. Et ita tenent Ægidius *disp. 13. dub. 7. concl. 61.* Avila. *de Censur. p. 2. c. 3. disp. 2. dub. 2. concl. 1.* Henriq. *L. 13. c. 26. n. 1.* Sayrus *L. 1. thesaur. c. 6.*

c. 6. n. 40. Coninck de Censur. disp. 13. dub. 7. n. 61. Præposit. p. 3. q. 1. de Censur. dub. 5. n. 31. Delbenè de Immun. Eccl. c. 12. dub. 1. sect. 4. n. 1. ac alij contra Suar. l. c. Laym. L. 1. Theol. moral. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 6. Panorm. Gemin. Ugol. aliósque. Ratio est, quia is, qui ratione certi territorij jurisdictionem habet, uti Principes, Episcopi &c. præcepta non minùs, quàm leges & statuta ferunt vi jurisdictionis territorialis: cùm ergo hanc exercere in subditos extra territorium existentes non valeant, consequens est, quòd sicut statuta ferre nequeunt, quæ extra illud obligent, ut fatentur adversarij, ita pariter nequeant dare præcepta absentibus. Nam cùm Pontifex cit. C. 2. de Constit. in 6. dixisset, statuto, quo Episcopus omnes, qui furtum commiserint, excommunicat, subditos extra ipsius diocesim furtum committentes minimè ligari, rationem addidit *cùm extraterritorium jus dicenti non pareatur impunè*. Neque apta satis est responsio, quâ dicunt, per tò *jus dicere* intelligi *statutum ferre*: sic enim propè diceretur idem per idem, & sensus pontificiæ rationis esset, ideò statuto Episcopi extra Diocesim seu territorium impunè non pareri, quia statuto extra territorium impunè non paretur. Igitur sensus est, jurisdictionem (contentiosam & coactivam) extra territorium nullo modo exerceri posse sive per statutum sive per præceptum &c. Hinc non placet, quod aiunt Tapia tom. 1. Catena Mor. l. 4. q. 16. à 4. & Eman. Gonzalez in C. 21. de sent. Excom. n. 4. ideò subditos extra territorium non teneri præcepto Superioris, quia dum absunt, justam ignorantia causam habent: non enim Pontifex eos excusat ob ignorantiam, sed ob defectum jurisdictionis, quam videlicet Superior extra suum territorium non habet. sive ergo norint, sive ignorent statutum aut præceptum, non ligantur. Neque valet, quod dicunt Suar. & Laym. ll. cc. statutum immediatè tendere ad territorium, illique cohærere, ac idcirco neminem illo ligari extra territorium: sententiam verò & præceptum immediatè tendere ad personas subjectas, earumque ossibus inhærere, quocùnque terrarum discesserint.

rint. Hoc ipsum enim controversum est & à nobis negatur, tum quòd textus *cit. L. ult. ff. de iurisdic. § C. 2. de Constit. in 6.* absolutè loquuntur; tum quòd non est ratio, cur præceptum magis quàm statutum afficiat immediatè ipsas personas & non territorium. Utrumque fit ratione jurisdictionis territorialis, quæ cum ultra territorium, ut dixi, non porrigatur, consequens est, neutro subditos extra illud obligari. Aliàs videretur in potestate Superioris esse subditos pro arbitrio extra territorium ligare: dum enim aliquid aut præcipit aut vetat, dicere posset, se non per modum statuti ita præcipere, sed per modum sententiæ & præcepti, quo sui Subditi etiam extra territorium ligantur. Quâ ratione vis legum extra territorium jurisdictionis usum non concedentium eluderetur. Non item placet, quod ait Laym. *l. c. n. 8.* rationem, cur Episcopus extra suam Dioecesim sententiam ferre non possit, non esse hanc, quòd subditos extra territorium non habeat; sed istam, ne in aliena Dioecesi ferens sententiam censuræ alienum territorium invadere & violare videatur: quâ ratione cessante nihil obstare, quòd minùs in sua Dioecesi existens jurisdictionem in suos alibi existentes exercent. Hinc enim sequeretur, quòd non tantùm voluntariam, ut ipse infert, sed etiam contentiosam jurisdictionem in subditos absentes exercere posset, & sic statuta facere, quibus in absentia teneantur, dummodo in sua Dioecesi existat. Hoc autem ipsemet negat *l. c. n. 6. & l. 1. tr. 4. c. 11. n. 1.*

46. Quæ tradita modò sunt de territorio alieno, pariter procedunt de loco intra proprium territorium exempto: nam neque in isto subditus ligatur statutis & præceptis sui Principis. Sumitur *ex C. 1. de Privil. in 6. V. dummodo sit in loco exempto commissum.* Ratio patet ex dictis: quia esse in loco exempto territorij, idem est, ac esse extra territorium. Ideò enim locus dicitur exemptus, quia eximitur à jurisdictione ejus, cui aliàs ratione territorij competeret jurisdicção: non ergo poterit jurisdictionem contentiosam ibi exercere, nisi in casibus à Jure expressis.

Clem.

Clem. Archiepiscopo de Privil. C. Episcopus 7. de Offic. Ordin. in 6. C. un. §. fin. de statu Regul. in 6. Verum hæc intelligenda sunt duntaxat de loco plenè exempto, in quo videlicet Princeps territorialis vel Episcopus nullam omnino jurisdictionem habet: secus, si tantum personæ certæ exemptæ, v. g. Regulares. Tunc enim Clericus sæcularis aliùsve Episcopi subditus commorans in Monasterio exempto subjacet statutis Diocesis, & in illo delinquens puniri ab Episcopo potest, ut benè notant Anchar. & Franc. *in cit. C. 2. de Constit. in 6.*

47. Procedunt insuper prædicta non tantum de legibus territorio proprijs, sed etiam de communibus, si quis in loco versetur, ubi leges communes per privilegium vel consuetudinem non vigent, ut cum communi tradunt Suar. *L. 2. de Festis c. 14. Sanchez L. 1. Moral. c. 12. n. 28. Laym. cit. c. 11. n. 4.* Hinc si quis tempore Quadragesimæ hinc abeat, veniatque in Diocesim, ubi permissus est esus carniùm, poterit ibi eas comedere, tametsi hic esus in loco domicilij non sit permissus.

48. Denique procedit assertio non tantum de personis, sed etiam de rebus extra territorium jus dicentis existentibus: statutum enim, quod hic fit, non comprehendit res alibi existentes, tametsi earum possessor hic sit, & statutum condenti subiectus, ut post Bart. Bald. Castr. Alex. Jason. Cephal. Curt. Sen. ac aliorum communissimam tradunt Marta *p. 4. de jurisdict. casu 53. n. 10. Petr. Barbosa ad L. exigere dotem 65. ff. de iudic. n. 163. Menoch. consil. 672. n. 2. & cons. 656. n. 5. Gail. L. 2. obs. 124. n. 9.* Et quamvis Bartol. aliique apud Gabrielium *L. 6. tit. de statut. concl. 8. n. 27.* distinguant inter statutum favorabile & odiosum, hocque fateantur non extendi ad res alibi sitas, benè tamen illud: ex quo inferunt, quod si vi statuti alicujus ad ultimam voluntatem non requirantur solemnitates Juris communis, sed sufficiant duo v. g. testes, testamentum vi talis statuti cum duobus testibus confectum, valeat quoad bona sita etiam ibi, ubi septem testes requiruntur. Alij tamen complures apud Oliva *p. 3. For. Eccl.*

g. 4. n. 3. sine discrimine id asserunt etiam de favorabili. Quam sententiam cit. Oliva dicit receptissimam & de Jure veriore, eò quòd bona sint subjecta tantum illi Principi, in cujus territorio sita sunt. Melius alij rejiciunt discrimen, quod facit idem Bart. in L. 1. C. de sum. Trin. dum ait, si statutum dirigitur in personas, ex. gr. dicendo *solus primogenitus succedat*, intelligendum esse etiam de bonis extra territorium existentibus; secus, si dirigatur in rem; e. g. *bona defuncti perveniant ad solum primogenitum*. Hoc, inquam, discrimen complures rejiciunt, & rejecit Camera Imp. teste Mynsing. cent. 5. obs. 19. aiuntque, in neutro casu extendi statutum ad bona alibi sita. Quod modo dictum est de lege municipali, dicendum est cum communi DD. etiam de Consuetudine locorum: nam neque ista porrigitur ad res alibi sitas, ut cum Bart. Jas. Panor. Felin. Ruin. Tiraq. aliisque tradunt Gabriel. l. c. concl. 9. Covarr. de sponsal. p. 2. c. 7. n. 7. Oliva l. c. n. 5. Ex quibus inferunt, quòd si Statutum vel Consuetudo alicubi ferat, ut conjuges sibi invicem ab intestato succedant, vel ut parens liberos habens superstites aut filius ascendentes, non nisi de tertia bonorum parte disponere possint, vel ut primogenitus in omnibus bonis succedat &c. id locum non habeat in bonis sitis extra territorium, ubi hujusmodi statutum vel consuetudo non viget. Hoc tamen Gail. l. c. in fin. cum Baldo aliisque limitat quoad bona mobilia & nomina debitorum; hæc enim etfi sint extra territorium statuentis, censerì tamen præsentia in loco, in quo erat persona testatoris tempore conditi testamenti, eò quòd respiciant personam, immobilia verò territorium. Indidem sequitur, ut observat Oliva l. c. n. 25. statuta & consuetudines sæcularium non habere vim quoad bona Ecclesiastica, cum sint exempta ab eorum foro & potestate C. *Eccl. sancta de Constit. C. cum laici de reb. Eccl. alien.* ac propterea extra eorum territorium esse censeantur, cum paria sint extra forum esse & statuti non ligari.

49. Quamvis autem statutum & consuetudo, queis certa solemni-

solemnitas contractibus, vel dispositioni ultimarum voluntatum præscribitur, non extendatur ad actus gestos extra territorium statuentis, ligat tamen omnes subditos, imò etiam non subditos, qui disponunt vel contrahunt intra territorium statuentis, etiam quoad bona alibi sita: quia quoad formam actus semper attenditur statutum & consuetudo loci, ubi actus celebratur. *L. si fundus 6. ff. de Eviction. L. 2. ff. quemadmodum testam. aper.* Fusè de hoc Gallius *L. 2. obs. 8. in fine & obs. 123.* Mynsing. *cent. 2. obs. 82. & cent. 5. obs. 20.* Carpz. *p. 3. jurispr. for. constit. 6. defm. 12.* Gabriellus *L. 6. tit. de consuet. concl. 2.* Brunnem. *in cit. L. 6.* Ex quo deducunt Bart. Aretin. Bald. Angel. Castr. Valasc. ac alij apud Oliva *l. c. n. 31.* quòd testamentum coram duobus aut tribus testibus conditum in loco, ubi hic testium numerus sufficit, valeat etiam quoad bona alibi sita, ubi major numerus testium requiritur.

50. Limitanda tamen hætenus dicta censeo cum communi DD. & sic assero quartò: illorum Superiorum, qui non habent jurisdictionem vi alicujus territorij aut quasi, qualem exercent Principes & domini territoriales, Episcopi, & Rectores Universitatum, sed independenter à territorio jurisdictionem aut potestatem immediatè in personas habent, uti habent Prælati Regulares in subditos Religiosos, patres in liberos, domini in servos: horum, inquam, Superiorum statutis & præceptis ligantur subditi, ubicunque existunt. Ratio discriminis hos inter & illos est: quia Episcopus v. g. jurisdictionem immediatè habet in territorium, & ratione hujus in personas, quæ proinde, si illo absint, ejus jurisdictione non amplius ligantur: Prælati verò Regularis jurisdictionem immediatè habet in personas Religiosorum territorio non alligatam, quæ proinde istos comitatur, quòcunque abeant.

51. Limito ulterius, & assero quintò cum Coninck *l. c.* ac alijs: etiam domini territorialis, v. g. Episcopi, præceptis obligantur subditi extra Diocesim existentes, si nomine ejusdem

vel Capituli legatione alióve munere fungantur aut negotio : nam ratione hujus manet persona subjecta, & sic quoad illud præcepta absenti dari possunt ; tum quòd iste hac ratione moraliter est in territorio & sub jurisdictione sui Episcopi, & ab hoc actu adhuc dependet ; tum quòd Episcopi interest, benè geri negotium à subdito, ac proinde istum dirigi in illo posse.

52. Hinc consequens est alia limitatio, asseroque sextò : subditi etiam absentes obligantur statutis & præceptis sui territorij, subjacentque poenis in transgressores statutis, si factum vel delictum afficit ipsum territorium & in ipso aliqua ratione committitur. Sic tenent cum communissima DD. Covarr. in C. *Alma de sent. Excom. in 6. p. 1. §. 20. n. 3.* Salas de Leg. disp. 14. sect. 5. à n. 71. Suar. de Leg. L. 3. c. 32. n. 8. & disp. 5. de Censur. sect. 4. § 5. Bonacina de Leg. disp. 1. q. 1. pun. 6. n. 67. contra Gabrielem in 4. dist. 28. q. 2. concl. 6. & Basil. Pontium L. 5. de Matr. c. 7. n. 20. Exempla sunt : si quis in alio territorio stans vulneret quempiam stantem in isto ; aut si Clericus Beneficiatus à Diocesi absit & hinc in loco Beneficij non resideat ; aut absens curet extrahi frumentum hinc exportari vetitum, vel importari merces huc invehi vetitas ; aut cum re aliena hinc aufugerit & non restituat ; aut alijs debitis, ac obligationibus, ad quas hinc tenetur, non satisfaciat, aut contra prohibitionem vel alteri Principi militet, vel alibi mercaturam exerceat &c. quia isti, tametsi absentes, hinc tamen peccant, dum omittunt, quod faciendum hinc erat ; aut committunt, quod erat omittendum, ceditque eorum factum vel omissio in speciale vel damnum vel injuriam proprii territorij.

53. Cum subditi, exceptis casibus modò enarratis, non ligentur statutis sui territorij, dum extra illud degunt, dubium oritur, an de industria inde abire possint eo fine, ut se ejus statutis subtrahant. Negant Silvester V. *Iejunium q. 2. Vasq. in 3. p. q. 98. art. 2.* Salas de Legib. disp. 14. sect. 5. n. 63. Rebell. de Iust. p. 2. lib. 2. q. 7. sect. 3. n. 16. Less. de Iust. L. 4. c. 2. n. 60. aliique complures. Ego affirmandum censeo cum Sanchez L. 3. de Matr. disp. 18. n. 29. &

29. & L. 1. in Decal. c. 12. n. 35. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 13. n. pen. Basil. Pont. L. 5. de Matr. c. 9. n. 4. Palao tr. 3. disp. 1. pun. 24. §. 5. n. 4. Bonacina de Leg. disp. 1. q. 5. pun. 6. n. 64. Delbene de Immun. Eccl. c. 12. dub. 2. sect. 1. n. 1. aliisque. Nihil enim prohibet, quin id fieri possit: tamen enim quisque teneatur legibus propriis sui domicilij, quamdiu ibi est: nulla tamen lex est, quæ jubeat ipsum ibidem manere. Licite ergo abit, & dum absens est, lege solutus est. Verum quidem est, dolum & fraudem nemini debere patrocinari. C. sedes & C. Ex tenore de Rescript. sed negamus, hic fraudem intervenire: quia nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur. L. 55. ff. de R. I. Hinc altiùs tollendo potest quis ædes vicini obscurare intermisso legitimo spacio. L. 14. ff. de servit. urb. L. 26. ff. de Damno inf. L. 8. C. de servit. & aq. nisi absque suo comodo & ex sola malitia (cui non est indulgendum) id faciat. L. 61. ff. de R. I. L. 38. ff. de R. V. L. 1. §. 12. ff. de aqua plur. In fraudem statuti is agit, qui tenetur in loco manere, indeque abit absque necessitate vel licentia, v. g. Beneficiatus ex loco Beneficij, aut si medijs observandæ legis, quæ tenetur procurare, obstaculum ponit. Ex dictis consequens est, non peccare, qui ex diocesi, in qua est dies festus aut jejuniij, abit in aliam, ubi festum aut jejunium non observatur, ibique opus servile faciat, aut comedat. Exemplum aliud dant cit. DD. de eo, qui è loco, ubi Tridentinum Concilium receptum est, eò abit, ubi receptum non est, eo fine, ut ibi clandestinè matrimonium contrahat: aiunt enim tale matrimonium valere. Sed falluntur: est enim invalidum vi decreti Urbani VIII. quod refert Card. de Lugo L. 1. Resp. Mor. dub. 36. nisi ibi, ubi contrahit, figere velit domicilium.

§. III.

*An Judex contra suos subditos in alieno territorio
existentes procedere possit.*

SUMMARIUM.

54. Nec Realis Citatio fieri potest in alieno territorio.

F 3

55. Nec

55. *Nec Verbalis.*

56. *Sed implorandus est Iudex territorij, ubi reus moratur.*

57. *Sententia judicialis obligat etiam absentes.*

58. *Executio tamen in alieno territorio fieri nequit.*

54. Ubi decisum modò est, non posse leges & præcepta ferri subditis extra ferentis territorium existentibus: indagandum restat, quatenus Iudex intra suum territorium procedere judicialiter possit contra suos subditos extra illud existentes. Potissima quæstio est de Citatione, Sententia, ejusque Executione. Illam de Citatione Angel. in *L. 2. ff. de jurisd. n. 6.* & Jason *n. 24.* aiunt esse valde dubiam & egere Cæsarea decisione. Obscuram certè reddiderunt multi DD. qui parùm distinguunt inter illam, quâ subditus extra locum domicilij existens citatur, & eam, quâ extraneus ad locum delicti, contractûs, aut rei sitæ. De hac separatim suo loco agam, quando explicabo modos sortiendi forum per delictum, contractum &c. De illa prima nunc agendo facile convenit inter omnes, citationem realem, quæ fit per capturam, in alieno territorio fieri non posse, quia, qui in alieno territorio jurisdictionem exercet, territorium violare dicitur, ideòque injuriarum tenetur, si fugientem insequatur, & sine licentia domini territorij capiat: adeò, ut captus ante omnia relaxari debeat. *L. fin. ff. de Offic. Præs. urb. L. 1. § 2. de Offic. Procons. L. 3. ff. de Offic. Præs. Clem. quamvis de foro comp. fusè Farin. L. 1. Prax. crim. tit. 1. q. 7. n. 40.* In Romano tamen Imperio juxta Recessum Augustæ Vindel. erectum Anno 1559. §. und wiewoî Magistratus offensus in territorio hostes & turbatores pacis publicæ die gefährliche Reisigen und Fueß-Knecht / Rauber und Mörder / palantes equites & pedites grassatores, prædones, & latrones persequi etiam in alieno territorio potest, & capere, ita tamen, ut ibidem juri sistantur, nec ex loco, ubi capti sunt, in alienam jurisdictionem abstrahantur. Gail. *L. 1. de Pace publ. c. 16. n. 25.* Mynsing. *cent. 2. obs. 28.* Matth. Stephani *L. 1. de jurisd. c. 33. n. 69.* Illi quoque, qui obedientiam perpetuam debent, possunt propriâ auctori-

toritate Superioris ubique capi, ut si Religiosus fugiat è Monasterio, uxor à marito, servus à domino &c. uti ex *L. si quis 1. C. ubi quis de curiali* colligunt Baldus *ibid. n. 1.* Salicet. Castr. ac alij, & si non est quæstio de obedientia, etiam propria auctoritate reduci possunt. Si verò Religiosus neget, se esse subditum hujus Prælati, vel foemina se diffiteatur esse uxorem, aut servus dicat, se esse liberum, vel huic domino non subiectum, deductio fit ad Judicem, cui formula, quæ *cit. L. 1.* præscribitur, in cognoscendo servanda est. Et ita quoad apostatas Religiosos in praxi servatur. Perez *in C. cit. tit. n. 4.* Idque procedit, non solum si Religiosus, servus, uxor, filius aufugit, sed etiam, si cum licentia abiit, statuto tamen tempore & vocatus non redit. Rationem dat Avila *p. 2. de Censur. c. 3. disp. 2. dub. 4.* quia hujusmodi captura non fit per viam jurisdictionis, sed habet rationem vindicationis & necessariæ defensionis. Eodem pertinet, quod tradunt Bapt. Caccial. *tr. de debit. fugit. q. 7.* & Perez *l. c. debitorem fugitivum* repertum in alieno territorio posse propria auctoritate capi, etiam si ibi non contraxerit, nec alia de causa forum sortitus sit. Alij videntur requirere, persecutionem coeptam esse in proprio territorio, dum aiunt, licitum esse, in continenti furem vel debitorem fugientem persequi, & quæ portat, ei auferre, si causa fugientis sit notoriè mala & non controversa. Gail. *L. 2. obs. 44.*

55. Cùm certum sit, Citationem Realem in alieno territorio fieri non posse extra duos casus modò enarratos, solum dubitatur de Verballi. Hanc extra citantis territorium fieri posse asserunt post Cynum, Bartol. ac Bossium Gail. *L. 1. obs. 56. in fine,* Zanger. *de Exception. p. 2. c. 1. n. 170.* ac alij. Distinguit (nulla tamen discriminis allata ratione) Scaccia *L. 1. de ludic. caus. c. 40.* inter causas civiles & criminales, & in his negat *n. 6. §. tertium casum* citari etiam verbaliter posse subditum ex alieno territorio ad suum proprium; in civilibus verò concedit *n. 9. §. quæro secundo.* Alij aliter distinguunt, præcipuè Legistæ, quos refert idem Scaccia *cit. n. 6. §. insurgit*, aiuntque, si territorium utrum-

que

que sit sub eodem Principe, posse Judicem unum citare ex territorio alterius, etiam sine hujus requisitione ac consensu; secus non. Mihi, seclusa consuetudine & considerato solo Jure scripto, cum communi Canonistarum, quam referunt Aretin. *consil.* 135. & Clarus *L. 5. sent. §. fin. q. 31. n. 20.* ac cum Andr. de Ifern. aliisque sequuntur Maranta *p. 6. Speculi tit. de Citat. n. 40.* & Berlich. *p. 1. Concl. pract. 11. n. 3.* dicendum videtur, etiam citationem verbalem in alieno territorio fieri non posse, sive causa criminalis sit sive civilis, juxta textum *Clem. Pastoralis 2. de Sent. & re judic. §. ut illud tanquam notissimum, §. Nos quoque Regis, & §. Rursus non est silentio*, cujus auctoritati non obstat, quod temerariè ac impudenter vilipenditur à Cyno, quem propterea meritò reprehendunt Berlich. *l. c.* quamvis heterodoxus, & Vincent. Gravina *de Ortu & Progressu Juris Civil. n. 171.* Accedit, quòd *L. 1. §. 2. ff. de Requir. vel absent. damn. & Novell. 134. c. 5.* absolute, & absque mentione citationis verbalis per nuncium faciendæ, decernitur, literas dandas ad Judicem territorij, ubi reus latitat. Hicque modus requirendi per literas Judicem loci, in quo moratur citandus subditus, communiter servatur teste Alberico *in cit. L. 1. Claro l. c. n. 19.* Maranta *cit. n. 40.* Scaccia *cit. n. 6.* Assertio procedit etiam tunc, quando plures Judices sunt sub eodem Juce supreme, & separatas jurisdictiones habent, uti sunt plures præfecti & præfides sub eodem Principe, plures Principes sub eodem Imperatore & Rege: nec enim unus è territorio alterius citare reum potest, nisi requisitione factâ & implorato subsidio illius, in cujus territorio reus moratur. *Novell. 15. c. 6. §. 1. cit. L. 1. §. 2. ff. de Requir. vel abs. damn. L. quod promulgatis 2. C. de Offic. præf. urb. L. fin. ff. de Jurisd. Fusè Berlich. l. c. n. 15.* Quod ait Gail. *l. c.* subditum quòcunque se verterit, semper manere subditum, ac propterea in loco domicilij citari posse, nimium probat; nam sequeretur, subditum etiam absentem teneri statutis sui domicilij, nec valeret illa regula suprâ allata, extra territorium jus dicenti impunè non pareri.

56. Quòd si quæras, quid faciendum sit, si Judex territorij alieni, ubi reus moratur, per literas subsidiales requisitus, illum sistere legitimo Judici nolit, respondet Scaccia *l. c. n. 6.* duo remedia suppetere. Primum ex Hostiensi, Felino, Dyno, & Afflict. idque haud dubiè securissimum & ordinarium, ut Superior adeatur, qui illum Judicem reuientem compellat. Alterum ex Bart. Neviz. Boss. ac Moder. ut Judex rei per se ipsum citet, quoad omnes, ut ait, effectus condemnationis. Huic remedio saltem tunc locus erit, quando Superior nullus est, qui illum alterum Judicem compellat: ne videlicet cursus Justitiæ sufflaminetur, & actor damnum ferat, reusque impunè deliquerit. Verùm de hoc infra fusiùs dicetur à n. 143.

57. De Sententia, quæ non extrajudicialiter tanquam statutum vel præceptum (ut suprà dictum est n. 42.) sed cognitâ causâ fertur in judicio, certum est, quòd obligat etiam absentes; siue sit lata in subditos siue in extraneos, forum ratione vel contractûs, vel delicti, vel rei sitæ sortitos; siue lata sit in præsentés, siue in absentes contumaces, juxta *L. de unoquoque 47. §. 1. & L. Contumacia 53. ff. de Re judic. Auth. Qua in provincia §. Eo autem. C. ubi de crim. agi oport. L. properandum 13. §. 3. C. de judic. L. Et post 73. §. fin. ff. eod. L. Ea quæ 7. C. quom. & quand. iudex. c. Postulasti 14. de foro comp.* Imò tametsi lata sit in absentes non contumaces, dummodò præsentés litem fuerint contestati, & ab illa non appellarint. *L. fin. C. quom. & quando iudex, & DD. ibi:* quia etsi vis statuti non transeat ultra territorium, transit tamen sententiæ, cum in judicio quasi contrahatur à partibus juxta *L. licet. 3. §. 11. ff. de peculio.* ejusque obligatio inhæreat ossibus personæ quocumque cum ea transiens, sicut obligatio ex contractu. Quod etiam de absente condemnato procedit, quia contumacia ejus pro præsentia est. *Auth. Qua in provincia.*

58. Executio tamen nec in persona nec in rebus extra territorium existentibus fieri potest à Judice sententiam ferente, sed requirendus est Judex territorij, ubi sitæ sunt. Patet cum ex mo-

dò dictis n. 54. tum ex C. *Postulasti* 14. de Foro comp. C. Romana 1. §. 3. eod. in 6. L. *A Divo Pio* 15. §. de Re jud. Hinc etfi confiscatio bonorum trahatur ad bona existentia etiam in alio territorio, eaque applicanda sint Camerae seu fisco loci, ubi confiscationis sententia lata est, & habens potestatem super personis delinquentium, habeat simul super eorum rebus ubicunque sitis: executio tamen fieri nequit, nisi per Judicem loci, ubi bona sunt sita; ne jurisdictiones confundantur, quod fieri non debet. *can. Pervenit.* 7. q. 1. L. 1. C. de Jurisd. & Gloss. ibi V. *Auxilium.* Novell. 15. c. 2. Ille verò per litteras mutui comparsus seu subsidiales imploratus auxilium suum promptè impendere debet, cum una jurisdictio per aliam adjuvanda sit, *cit. L. 15. §. 1. ff. de Re jud.* De hac executione à Judice territoriali. *facienda eleganter text. L. 2. C. de his, qui latron. L. Episcopale. C. de Episc. aud. cit. c. 1. §. 3. de foro comp. Bartol. in cit. L. 15. col. 2. n. 4. § 5. Tuscus lit. I. concl. 466.*

§. IV.

An Jurisdictio Voluntaria in Subditos alibi existentes exerceri possit.

SUMMARIUM.

59. *Jurisdictio voluntaria in alieno territorio exerceri potest.*
 60. 61. *Explicatur assertio per varios casus.*
 62. *Excipiuntur actus voluntariae jurisdictionis cognitionem judicalem requirentes.*
 63. *Etiam Delegatus hanc jurisdictionem extra territorium exercere potest.*

59. Jurisdictionem Contentiosam extra territorium exerceri non posse hactenus monstratum est. Quin possit Voluntaria, nihil obstat: non quidem L. *fin. ff. de Jurisd. & Clem. 1. de foro comp.* cum loquantur solum de Contentiosa: non ratio supra allata, cum Voluntaria ordinarium Juris processum aut Judicem pro tribunali sedentem non requirat, ac idcirco alteri Judici, in
 cujus

cujus territorio exercetur, nulla injuria inferatur, eò quòd nihil in personas, nihil in res earum statuatur, nemo citetur, nemo in jus trahatur, omnia constant favore quodam, & vel liberationem vel libertatem vel pietatem habeant, uti est emancipare, adoptare, eligere ad Beneficia, confirmare, conferre &c. Igitur exerceri extra proprium territorium posse tenent Gloss. & DD. in *C. Novit.* & *C. pen. de Offic. leg.* Hostiens. ac alij in *C. quia diversitatem* & *C. post electionem de concess. præb.* Bald. & Alberic. in *L. Emancipari ff. de adoption.* Gloss. Jaf. Hippol. Dec. in *L. ult. ff. de jurisd.* Covarr. *L. 3. var. c. 20. n. 8.* ubi cum Decio ac alijs testatur esse communem. Patet ex *L. Omnes 2. ff. de Offic. Procons.* & *L. Emancipari 36. ff. de adoption.* Assertio procedit non tantum de jurisdictione, quæ competit Jure communi, sed etiam de illa, quæ Jure singulari, seu ex privilegio vel præscriptione, ut contra Romanum *singulari 48.* & Curt. Junior. in *L. ult. ff. de jurisd. col. 1. observant* Covarr. *l. c. n. 9. §. ceterum,* & Oliva *p. 3. de Foro Eccl. q. 10. n. 4.* quia Jura non distinguunt inter unam & alteram.

60. Hinc (ut nonnulla exempla ponamus) deducunt Legistæ I. actum legitimationis in omni loco fieri posse, cum ad voluntariam jurisdictionem spectet. Bald. in *L. pen. q. 7. de sum. C. Trin.* Covarr. *p. 2. de sponsal. c. 8. n. 17.* Matth. Stephani *lib. 1. de jurisd. c. 33. n. 27.* Idem tradunt de investitura Stephani *l. c. n. 30.* & Sylvan. *tr. de Feud. recogn. q. 91. n. 2. §. 9.* Quir non solum vassallum investiri in feudo extra territorium, sed etiam alia regalia à Principe exerceri posse tradit cum Andr. de Iferni. Afflict. Chasfan. *ad Consuetud. Burg. rubr. de just. n. 74.* Inferunt II. cum Bart. in *L. in hac 30. C. de Donat.* ac alijs Gail. *L. 2. obs. 39. n. 28.* Wurmbser. *tit. 43. obs. 2. n. 3.* Gabriellus *tit. de Donat. concl. 1. n. 56.* Fichard. *vol. 1. consil. 7. n. 8.* Modest. Pistor. *consil. 20. n. 26.* Natta *consil. 528. n. 10.* contra Vaud. *L. 1. var. qq. c. 11.* Colerum *p. 2. de process. execut. c. 1. n. 9.* ac alios (quorum opinionem veriorum magisque receptam ait Menoch. *consil. 84. n. 51.*) insinuationem

tionem donationis coram quocunque Judice etiam non suo fieri posse: eò quòd causæ cognitionem & per consequens partis citationem, & decretum non requirat, sed simplicem duntaxat approbationem, imò juxta multos DD. ne istam quidem, ac proinde ad actus voluntariæ jurisdictionis pertineat. Quamquam altera opinio negans magis fundata videri possit in *L. 30. § 31. C. de Donat.* & *L. un. C. de Offic. juridici Alex.* Inferunt III. Decius in *L. ult. ff. de jurisd.* & Oliva de *Foro Eccl. p. 3. q. 10. n. 20.* gradum Licentiæ & Doctōratūs conferri extra territorium & Academiam posse, eò quòd collatio pertineat ad voluntariam jurisdictionem. Colligunt IV. Notarij à SS. Pontifice vel Imperatore, aut ejus Comite Palatino creati, instrumentum fidem facere etiam extra territorium creantis, eò quòd conficere instrumenta sit actus voluntariæ jurisdictionis. *L. 1. § 2. ff. de Offic. Procon. L. Emancipari ff. de Adopt. L. Non solum §. Et qui ff. de Excus. tut. Gail. L. 2. obs. 71. n. 13. Matth. Stephani L. 1. de jurisd. c. 33. n. 71. cum communi.* Colligunt denique V. Gail *L. 2. obs. 123. Nic. Everhard. Jun. L. 2. consil. 28. n. 76. Laym. L. 1. Th. Mor. tr. 4. c. 12. n. 5. Vasq. in Opusc. tr. de Testam. §. 1. dub. 1. Oliva 3. p. de Foro Eccl. q. 4. n. 40. Illust. D. Schmid, & Prænob. D. de Bassis semicent. 1. qq. for. contr. 38. n. 7. cum Bart. Bald. ac communi DD. forenses posse condere testamentum cum illa minore solemnitate, quæ in loco, ubi condit, statuto vel consuetudine recepta est, illudque valere etiam quoad bona alibi sita: eò quòd constitutio testamenti alteriusve ultimæ voluntatis sit jurisdictionis voluntariæ. Dissentit cum Oldrado Fachin. *L. 5. c. 90. § 91.* hanc doctrinam eo duntaxat casu admittens, quo forensis loci oneribus se subijcit, cujus favoribus vult gaudere.*

61. Inferunt indidem Canonistæ I. Beneficia Ecclesiastica conferri ab Episcopo posse existente in aliena Dioecesi. Selva *tr. de Benefic. p. 3. q. 40. § 63. Crott. in C. ult. de constit. in 6. Covarr. l. c. Idem de Vicario Generali plerique tradunt contra Baldum, Francum, ac alios, quorum doctrina, ut ait Covarr. ex eo*

cor-

corrumpit, quòd hæc jurisdictio sit voluntaria, adeoque extra territorium exerceri possit. Inferunt II. Licitum esse Episcopo (nisi si contraria alicubi consuetudo obstet) in aliena Dioecesi sine licentia illius Ordinarij sacrificare in Pontificalibus, seu cum mitra & pedo. Panor. in C. ult. de Translat. Episc. n. 4. Gloss. & Host. in Clem. ult. de privil. Silvest. V. Patriarcha §. tertium, ac alij, quos citat & sequitur Deibene de Imman. Eccl. c. 12. dub. 2. sect. 4. Nec obstat, quòd Archiepiscopus extra suam Dioecesim Pallio Archiepiscopali uti nequit: quia strictior est usus pallij quam pontificalium, ut ait cit. Glossa. Pariter non obstat Trident. sess. 6. c. 5. de Reform. ubi dicit. *Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegij praetextu pontificalia in alterius Dioecesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia* &c. ibi enim per exercitium Pontificalium intelliguntur actus Ordinis Episcopalis, quales sunt Ordines conferre, Chrisma conficere, Altaria & Ecclesias consecrari, degradare &c. Hujusmodi actus vetitos esse Episcopo in aliena Dioecesi absque licentia Ordinarij loci constat ex cit. Tridentini decreto junctâ Cardinalium declaratione. Gestare autem Pontificalia non tam est actus & exercitium, quam signum Jurisdictionis & potestatis Episcopalis. An autem saltem prima Tonsura in aliena Dioecesi conferri possit, controversum est inter DD. nec vacat hic discutere. Inferunt III. Sanchez L. 3. de Matr. disp. 19. n. 11. alijque, quos allegat, posse Parochum matrimonio sui subditi assistere in aliena Parochia absque licentia proprii Parochi loci; eò quòd hæc assistentia actus Jurisdictionis non sit, & quamvis ad eam reduci possit, seu similitudinem quandam jurisdictionis habeat, non tamen pertineat ad contentiosam, sed ad voluntariam. Inferunt IV. tenentque teste Sanchezio l. c. & Oliva l. c. n. 7. plerique, posse Parochum suos subditos in aliena Parochia valide & licite à peccatis absolvere: etsi enim non tantum Medicum Spiritualem, sed etiam Judicem agat, ejus tamen tribunal est arcanum & jurisdictionem solum in foro interno exercet, quâ non turbat jurisdictionem alienam. Notat tamen cum Sanchezio ac alijs Laym.

L. 1. Th. Moral. tr. 4. c. 5. n. 4. hujusmodi actus voluntariæ jurisdictionis in alieno territorio exercendos esse ferè privatim & non publicè, quò scandalum & confusio evitetur.

62. Verùm modò dicta non usque adeò certa sunt, quin in controversiam vocari possint. Inprimis enim multa sunt, quæ pertinent ad voluntariam jurisdictionem, cognitionem tamen requirunt, ac proinde partis citationem, qua de causa reducuntur ad contentiosam, & sic in alieno territorio expediri nequeunt. Unde distinctione opus est: nam aliqua sunt, quæ cognitionem & discussionem exigunt; sed non judicialem, quia non est pars, quæ se opponat. Talia sunt Dispensatio in Votis, Juramentis, & Legibus, Concessio privilegiorum ac gratiarum, Confirmatio Electionis, Collatio Beneficiorum & Officiorum, Manumissio, Legitimatio &c. quæ etsi examine aliquo indigeant, utrùm v. g. dignus sit, qui prestat Officium, an preces veritate nitantur & causa dispensandi subsit, an legitimè facta sit Electio aut Præsentatio &c. sæpe tamen nulla intervenit partium contentio, quæ cognitionem judicialem requirat, sed extrajudicialis tantum & simplex informatio capienda est. Hæc extra territorium expediri posse dico cum Jafone in *L. fin. ff. de jurisd. n. 11.* Pannorm. in *c. Novit. de Offic. leg. n. 5.* Franco in *c. fin. de Elect. in 6. n. 9.* Lambertino *L. 2. de lure patron. p. 2. q. 2. art. 11. n. 2. & 4.* Garcia de *Benef. p. 5. c. 8. n. 142.* Sanch. de *Matr. L. 3. disp. 8. n. 6.* Oliva de *Foro Eccl. p. 3. q. 10. n. 14.* Ratio obvia est: quia juxta communem DD. etiam illa, quæ de se pertinent ad jurisdictionem contentiosam, extra territorium fieri possunt, si talia sint, ut expediri queant absque citatione partis & cognitione judiciali: ergò à fortiori illa, quæ pertinent ad jurisdictionem voluntariam; qualia sunt, quæ modò enarravimus. Alias leges, quæ juxta *n. 59.* exercitium hujus jurisdictionis extra territorium permittunt, ferè nunquam locum haberent, cum actus etiam jurisdictionis voluntariæ ferè semper requirant præviam quandam informationem & cognitionem extrajudicialem, ne temerè & inconsultò procedatur

datur. Alia è contrario sunt, quæ non fieri aut certo duntaxat modo fieri aliorum interest. Talis e. g. est confirmatio electi, & institutio presentati, cui à parte contradicitur; dispensatio in iuramento, cedens in præjudicium ejus, cui facta est jurata promissio; exemptiones & privilegia alijs damnosa; manumissio facienda per minorem; legitimatio, quæ in certis casibus (de quibus doctè Covarr. p. 2. de sponsal. c. 8. §. 9. à. n. 7.) absque aliorum consensu fieri nequit. Cognitio super his & citatio partis, cum pertineat ad contentiosam jurisdictionem, extra territorium fieri nequit. Hæc tamen facta ipsa legitimatio, dispensatio, confirmatio &c. extra illud fieri poterit, cum sit actus voluntariæ jurisdictionis, retinens suam naturam, tametsi intermedia fuerint contentiosa. Bald. in L. un. ff. de Offic. Consul. prin. n. 11. Dec. in L. ult. ff. de jurisd. Lambert. L. 2. de jure patr. p. 2. q. 2. art. 6. n. 3. Sanch. l. c. Garc. l. c. Oliva l. c. n. 26. Ceterum iuramentum appositum contractui invalido, quem v. g. fecit pupillus absque auctoritate tutoris, absolutè relaxari potest extra territorium Superioris relaxantis: cum enim, ut hic ponimus, per illud contractus non confirmetur, sed invalidus maneat, & jurans solum ex religione illo teneatur, nec alteri jus quæsitum sit, opus ad ejus relaxationem citatione partis non erit. Idem dicendum est de casu, quando relaxatio solum petitur ad effectum agendi, siquidem sequi quis velit illam multorum sententiam (de qua Covarr. L. 1. var. c. 4. n. 6.) tradentem, opus tunc non esse citatione partis, eo quod absolutio solum ad effectum agendi nullum parti præjudicium afferat, cum illà etiam datà contractus maneat firmus etiam firmitate juramenti, & sic promissario suum jus salvum consistat, nec impedire iste possit hanc relaxationem, si justa agendi causa sit: citatio autem non requiritur, quoties pars, etiamsi præsens esset, contradicere non posset. L. Qui potest invitis ff. de R. I. Menoch. consil. 216. n. 19. Surdus consil. 323. n. 41. Guttier. in Auth. Sacram. puber. C. si advers. vend. à n. 111. Afflict. decis. 120.

perij vel Regni est, & lex viget in loco peregrinationis, etiam si propter contrariam consuetudinem vel privilegium non viget in loco sui domiciliij. E. g. si quis è sua Diocesi, ubi tempore verni jejuniij permissus est elus carniùm, transeat aliò, ubi lex jejuniij observatur, eam observare tenetur. Negat id quidem cum Palacios & Petro de Ledesma Sanch. *L. 3. de Matr. disp. 18. n. 7.* at certum esse apud eundem affirmant Henriq. & Emman. Rodriq. & reliquos omnes convenire ait Palao *tr. 3. disp. 3. pun. 24. §. 3. n. 8.* Nec immeritò: quia consuetudo ista particulatis vel privilegium non est personale, sed locale, seu loco inhærens, adeoque cum persona aliò non transiens. Neque valet, quod ille ait, ad breve tempus absentes haberi pro præsentibus: hinc enim sequi videtur, eos vicissim obligari legibus sui domiciliij, tametsi non observentur in loco peregrinationis; hoc autem ipse negat, & suam illam opinionem meritò retractat *L. 1. in Decal. c. 12. n. 39.*

66. Secundò censeo, peregrinos non obligari Statutis municipalibus & consuetudinibus loci, per quem transeunt. Ita tradunt cum Joan. Andr. Archidiac. Turrecre. D. Anton. Tolet. *lib. 6. summ. c. 5. n. ult.* Bonacin. *de legib. disp. 1. q. 1. p. 6. n. 36.* alique ferè innumeri, quos allegant & sequuntur Joan. Sancius *in select. disp. 54. n. 31.* Thom. Sanch. *cit. disp. 18. n. 6. & cit. c. 12. n. 38.* Delbene *de Immun. Eccl. c. 10. dub. 1. sect. 2. n. 22.* contra Covarr. Suar. Vasq. Navarr. Salas, Henriq. Basil. Pontium ac alios. Ratio est: quia nemo sortitur forum, nisi ratione domiciliij vel quasi, delicti, contractûs, rei sitæ, similibûsve modis, quos infra enarrabo. At per hoc, quòd per breve aliquod tempus alicubi commoror, nec domiciliium nec quasi acquirò, nec, ut ponitur, ibi contraho, vel delinquo, vel reconvenior &c. Accedit I. quòd sicut durissimum est, ut dicitur *L. Hæres absens 19. §. proinde. ff. de Iudic. quotquot locis quis navigans vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere*, ita pariter durissimum est, quibuscunque locorum, ad quæ in transitu venio, statutis & consu-

fuetu-

fuetudinibus subijci. Et quòd non teneat ubique, quò delatus sum, litigare, alia ratio non potest, quàm quia non ubique, quò delatus sum, forum fortior: supponit ergo lex, me non sortiri forum in loco transitùs & per consequens jurisdictioni illius non esse subiectum. Accedit II. quòd peregrini hìc nequeant matrimonio jungi, vel suscipere SS. Ordines, vel satisfacere præcepto Communionis Paschalis. Et quòd Græcus Sacerdos peregrinans in loco, ubi ritus Latinæ Ecclesiæ observatur, observare potest ritus Græcos, ut patet ex epist. Leonis VIII. vulgò IX. contra præsumptiones Michaëlis Constantin. c. 29. non aliam certè ob causam, quàm quia hujus loci jurisdictioni subiecti non sunt. Gratis verò ait Palao l. c. n. 17. ad 3. quoad Sacerdotem Græcum speciale dari privilegium. Accedit III. quòd juxta C. à nobis 21. de sent. Excomm. hæc sententia Episcopi: *quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit*, non nisi subditos ligat. Est autem quoad hoc par ratio statuti & sententiæ generalis: hâc enim ideò non ligatur extraneus, quia jurisdictione Judicis loci ad eum se non extendit; sed si ad eum se non extendit, tunc neque statuto ligatur. Neque dici potest, solùm excipi non subditos, qui extra Dioecesim Episcopi sunt: de his enim in casu capituli quæstio nec erat, nec esse poterat, cum per se clarum sit, alienos subditos, si extra territorium Episcopi existant, ejus jurisdictioni non esse subiectos.

67. Limitant plerique assertionem, dicendo, peregrinum teneri statuto vel consuetudine loci, per quem transit, si illud pariter vigeat in loco sui domicilij. Idque certum esse affirmat Sanchez cit. disp. 18. n. 3. & contrarium dicere absurdum esse autumant Bonacina l. c. n. 52. Salas de Leg. disp. 14. sect. 4. n. 40. Suarez tom 1. de Relig. lib. 2. c. 14. n. 15. Sed vel absurdum hoc non est, vel deferenda erit nostra sententia: nam juxta dicta n. 43. nemo ligatur legibus sui domicilij, dum illo abest: igitur si obligor in loco transitùs, solùm obligor, quia ejus Statuti sum subiectus. Cum ergo, ut modò dixi, nec loci, à quo absom, nec loci,

Per quem transeo, statutis obstrictus sum, consequentiùs & iuribus ac rationibus allegatis conformiùs loquemur, si cum Joanne Sancio hanc limitationem rejiciamus.

68. Limitant alij secundò cum Lessio *L. 4. de Iust. c. 2. n. 50.* dicendo, peregrinum non quidem obligari Statutis loci, per quem solum transit iter faciendo; obligari tamen, si per aliquot ibi dies moretur, v. g. negotiando, aliudve tractando negotium. Verùm cum leges commorationem brevis temporis nullibi ponant inter modos sortiendi forum, propterea & ista limitatio rejicienda est. Nec valet, quod dicunt, scandalizatum iri Fideles, si viderent, talem peregrinum non observare vel festa vel jejunia loci, ac idcirco communem sensum esse, quòd ille obligetur: nam rudes, nisi dedoceantur errorem, etiam in priore casu scandalum patientur, si videlicet iter facientem viderint carnes comedere in loco jejunij; docti illud nec in posteriore casu patientur.

69. Hinc consequens est tertia limitatio, quam omnes aut ponunt aut supponunt, cum sit Juris naturalis: videlicet non esse licitum transgredi statuta loci peregrinationis, si alij inde scandalizarentur, videndo quòd peregrinus in loco, ubi v. g. est dies festus aut jejunij, aut hoc aut illum non observet. Hoc enim casu absque dubio ille se conformare moribus loci tenebitur, nisi suum jus docendo scandalum avertere possit.

70. Quarta limitatio, quam pariter omnes afferunt, est de Statutis & Consuetudinibus in speciale commodum loci, aut ad ejus damna evitanda, inductis: his enim obligari etiam peregrinos dicendum est. E. g. evehere nequeunt merces exportari vetitas, aut invehere invehi vetitas, nec gestare arma ob periculum seditionis vel tumultuum gestari prohibita, nec pretium rerum venalium taxatum excedere, nec ultra tempus commorationi advenarum statutum commorari. Pariter tenentur servare solemnitates contractuum ibi, ubi contrahunt, receptas, cum ratione contractus sortiantur forum, ut infra fufius dicitur: solvere item gabellas, quia sunt onus annexum contractibus; solvere vectigal &c.

&c. Ratio obvia est: quia hujusmodi Statutorum prævaricatio fieri nequit absque detrimento boni publici & territorij subditorum, ad quod cavendum cum quivis etiam extraneus ipsa lege Naturæ dictante teneatur, consequens est, ad illa observanda eum obligari.

71. Canones porrò & rationes, quæ afferuntur ad probandum, peregrinos absolutè obligari Statutis & Consuetudinibus locorum, ad quæ perveniunt, procedunt vel de ijs tantum statutis, quibus modò dixi subjectos esse etiam peregrinos, vel de casu, quo ex transgressione nasceretur scandalum, ut patet ex *Can. illa dist. 20. Can. quæ contra dist. 8.* Neque obest huic peregrinorum exemptioni, quòd leges cujusque territorij locales sunt, quæ immediatè locum afficiunt atque inde transeunt in personas ibi existentes: nam transeunt quidem in habitantes, qui jurisdictioni ejus loci subjecti sunt; non autem in alienigenas. Pariter non obstat, quòd addunt, peregrinos frui privilegijs & exemptionibus loci, in quo peregrinantur, nec in isto obligari Statutis sui territorij, ac idcirco cum gaudeant commodis, sentire debere etiam onus juxta *reg. 55. in 6.* ac esse subjectos legibus loci, ubi sunt. Non, inquam, hæc obstant: quia regula de ferendo onere, quando sentitur commodum, solum procedit de casu, quo onus & commodum sunt connexa vel ex natura rei, vel ex dispositione legis aut superioris, uti sunt hæreditas & onera hæreditati annexa, fructus Beneficiales & obligatio residendi ac assistendi divinis, privilegia & dispensationes sub certa conditione & onere concessa &c. non item, cum onus & commodum connexa non sunt, sed disparata, sicut in proposito casu evenit, cum nexum inter se necessarium non habeant privilegia & Statuta localia aut exemptio à Statutis domicilij, & subjectio ad leges vigentes extra domicilium.

72. Ex dictis infero primò cum Henriq. *L. 6. de Pæn. c. 14. n. 4.* Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 14. à n. 6.* Sanch. *de Matr. L. 3. disp. 23. n. 12. § 13.* Less. *de Iust. lib. 2. c. 40. n. 121.* non pos-

se cum peregrinis in legibus, votis, juramentis, irregularitatibus, impedimentis matrimonij, & poenis contractis dispensari à Superiore loci, in quo peregrinantur, nisi illuc accesserint animo figendi domicilium vel quasi domicilium: quia, ut dictum est, jurisdictioni hujus Superioris subjecti non sunt, & voluntariam jurisdictionem, ut infra de Prorogatione dicitur *n. 448.* prorogare eidem nequeunt. Ex tacita tamen concessione sui Superioris possunt alibi percipere Sacramenta Poenitentiae & Eucharistiae extra tempus Paschale, imò etiam isto, si ad propriam Parochiam facile accedere nequeunt. Quin, si in alia Dioecesi justa de causa confiteantur, absolvi possunt à peccatis in propria ipsorum Dioecesi Episcopo reservatis, & quidem à Confessario quovis, si ibi, ubi confitentur, reservata non sunt; ab Episcopo verò, si ibi quoque, ubi confitentur, reservata sunt. Laym. *L. 5. Th. Mor. tr. 6. c. 10. n. 10.* cum Cajet. Henriq. Suar. Addunt Basil. Pont. *L. 8. de Matrim. c. 5. n. 7.* ac alij, urgente necessitate posse Superiorem loci cum advenis dispensare, æquè ac cum subditis, & eorum matrimonio assistere, v. g. si per hoc restaurandus sit honor foeminae violatae, aut legitimanda proles, quando pater existit in periculo mortis.

73. Infert secundo Farin. *L. 1. prax. crim q. 7. à n. 6.* cum communi DD. non posse (seclusa consuetudine contraria) peregrinos hic puniri ob delicta in loco domicilij vel alibi patrata, nisi delictum hic continent. Neque contrarium asserit Basil. Pontius, ut ipsi imponit Delbene *de Immun. Eccl. c. 11. dub. 1. sect. 13. n. 5.* multus in refutando, quod ille non asseruerat. Sed de hoc infra *n. 159.*

74. De Vagis, ijs videlicet, qui nullibi fixum domicilium habent, major dubitatio est. Hos quoque, sicut peregrinos, ab obligatione legum & consuetudinum locorum, per quæ transeunt, vel in quibus hospitantur, eximunt Lessius *L. 4. de iust. c. 2. n. 29.* Laym. *L. 1. Th. Mor. tr. 4. c. 12. n. 7.* Pasqualig. *de lejun. decis. 200. n. 4.* Joan. Sanc. *l. c. sect. 8. n. 11.* cum Palud. S.

Anton

Anton. Silvest. Medin. Sayro : quia generalis, inquit, doctrina est *C. ult. de Foro comp.* neminem sortiri forum, fierique subiectum, nisi vel ratione domicilij, seu habitationis, vel delicti, vel contractus, vel rei sitæ, vel originis. Vagi autem nullo ex his modis, ut ponitur, subiecti sunt: non ergo sortiuntur forum. Verum hæc opinio plurimis alijs non immeritò displicet. cum his itaque

75. Censeo tertio, Vagos obligari legibus omnibus locorum, ad quæ perveniunt, æquè ac incolas. Cum enim nullibi certum & stabile domicilium habeant, ubique domi sunt, & sic ubique forum sortiuntur, ut constat ex eo, quòd ubique capi & plecti possunt ob delicta etiam alibi commissa. Gloss. in *L. 1. C. ubi de crim. agi oportet.* communiter recepta teste Farin. *L. 1. prax. crim. q. 7. n. 3.* Clar. *L. 5. sent. §. fin. q. 37. n. 7.* Gloss. & Bart. in *L. Heres absens. ff. de judic.* alique plurimi, quos allegat Sanch. *L. 4. de Matr. disp. 25. n. 5.* Possunt quoque ubique matrimonio jungi, ut patet ex Trident. *sess. 24. c. 7. de Refor.* & ubique absolvi à peccatis, ut tradunt omnes contra Card. in *C. omnis utriusque de pœnit. n. 6.* ad Legatum Pontificium eos pro absolutio-
ne remittentem. Rationem dant, quia ubique sortiuntur forum. Accedit, quòd nec privato vagorum bono (ut nihil dicam de publico) expedit illa exemptio à legibus locorum: sic enim, qui vagantur per orbem, solà ferè lege naturali, & si Christiani sunt, Ecclesiæ legibus universalibus, ligarentur. Hac autem ratione non benè dirigerentur: ad quid enim tot leges civiles, & politicæ apud omnes gentes belluino ritu non viventes, si benè dirigimur solà lege Naturæ? Quamquam enim ante legem scriptam Hebræis à Deo per Mosen datam dicatur Gens Humana lege duntaxat Naturæ fuisse gubernata, constat tamen, leges aliquas Divinas positivas ab exordio mundi extitisse, ut exemplis illustrat Suarez *L. 9. de Leg. c. 1.* nec minùs varias humanas leges & consuetudines, seu communi Gentium, seu particularium locorum usu ac Magistratum functionibus inductas viguisse.

76. Responsio ad oppositam rationem patet ex dictis: tamen enim vagi propriè dictum domicilium vel quasi non habeant, cum ad illud præter habitationem requiratur voluntas stabiliter in loco manendi, ad posterius verò commoratio per magnam anni partem, ut infra dicetur, censentur tamen habere domicilium, & sic fortiuntur forum ubique, ubi sunt, quia Magistratus loci jus ipsis & contra ipsos dicit, iustitiam vindicativam, & jurisdictionem voluntariam in eos exercet, æquè ac in incolas, uti admittunt adversarij, & praxis docet. Cumque bonum tam publicum quàm privatum ipsorum exigit, ut forum habeant; certum autem alicubi non habeant, necesse est, ut habeant ibi, ubi sunt. Ex quo consequens est, quod contra Petr. de Ledema, Em. Rodriq. Sanch. ac alios docent Gabriel, Petr. Soto, Suar. aliique, non posse eosdem vel absolvi à peccatis vel matrimonio jungi à quolibet Curato Diocesis, ubi sunt, sed tantum ab illo, intra cujus Parochiam modò degunt, cum sint ipsius subditi, & non alterius. Multò minùs hæc ipsis ministeria præstari poterunt à Sacerdote simplici nullam vel ordinariam vel delegatam jurisdictionem habente, uti benè observat Medina *L. de Confess.* q. 31.

§. VI.

Exceptio Fori declinatoria quomodo sit proponenda.

S U M M A R I U M.

77. Iudici non competenti opponitur Exceptio Fori declinatoria, seu Præscriptio Fori.
 78. Quandoque etiam post litis contestationem.
 79. Ordinariè faciendâ est ante omnes alias exceptiones.
 80. Fieri potest in absentia iudicis, quando citatus non tenetur comparere.
 81. Disquiritur, an opponi possit, quando reus promisit, se compariturum coram quocunque Iudice.

77. Cum

77. Cùm Forum competens & jurisdictio singulorum Judicum nec ad omnes personas, nec ad omnem locum, nec ad omnes causas se extendat, ut hæcenus explicavi: consequens est, quòd Judex, qui jurisdictionem non habet, vel in personam, quam citat; vel in causa, in qua citat; vel in loco, ad quem citat, repudiari possit, opponendo, incompetentem esse: cùm litigare coram privato nemo teneatur; litigare autem coram Judice incompetente est litigare coram homine privato, qui potestatem juris dicendi non habet. *L. 1. ff. de Offic. Præs. L. 1. §. 2. ff. de Offic. Procon. L. ult. ff. de Offic. præf. urb.* Hæc repudiatio dicitur *Exceptio incompetentiæ & Declinatoria fori*. Ab Honor. & Theodos. Imp. dicitur *Præscriptio fori*. *L. ult. C. de Except.* Ubi ejus opponendæ tempus definiunt: *præscriptiones fori*, inquit, *in principio litis à litigatoribus opponendas esse, legum decrevit auctoritas*, videlicet *L. sed etsi 52. pr. ff. de Iudic. & L. Nemo 4. C. de jurisd. om. judic.* Unde si quis alijs prius utatur exceptionibus, consensisse in Judicem videtur, & ad hanc defensionem reverti nequit. *arg. cit. L. 52. Bart. in cit. L. ult. C. de Except. Specul. tit. de Except. §. Viso. V. Porro. Cast. in L. exceptionem C. de probat. col. fin. Pacian. L. 2. de probat. c. 45. n. 15.* Non tamen videtur in Judicem consensisse, inquit Modestinus. *L. 33. ff. de Iudic. qui edi sibi genus apud eundem Iudicem desiderat actionis*, id est, qui libellum ejusve exemplum sibi edi petit.

78. Verùm hæc quoque de Exceptione Incompetentiæ regula suas exceptiones patitur, opponique declinatoria fori etiam post litem contestatam potest. I. Si ejus notitia primùm postea acquiratur, & opponens fidem juramento faciat, se eam notitiam prius non habuisse. *C. Pastoralis 4. de Except.* cujus decisione standum est, & stant Bart. & DD. communiter, teste Covarr. *c. 25. pract. qq. n. 2.* quidquid opponant Glos. in *L. qui procuratorem. §. 1. ff. de Procur.* Castr. Angel. ac alij: dummodo negligentia in opponente non intervenerit, ac justa fuerit facti ignorantia, ac ante conclusionem causæ opponatur. Covarr. *l. c. Asinius in*

praxi §. 13. c. 2. limit. 14. Hilliger in Donell. L. 22. c. 9. lit. ff. Vigel. Meth. lur. contr. L. 2. c. 7. reg. 22. exc. 4. replic 2. Imò etiam si minor, mulier, rusticus, eam omiserint ex ignorantia Juris, opponere eam possunt. Sichard. ad L. 13. C. de probat n. 6. Hilliger l. c. dissentiente Zangero p. 2. de except. c. ult. n. 6. cum Jafone & Chalder. II. Si per Judicem stetit, quò minùs antè proponeretur. Vult. ad L. 4. C. de jurisd. n. 15. Asin. l. c. lim. 3. Vel si is illam rejecit, ut post litem contestatam probaretur. Asin. l. c. n. 5. Hillig. l. c. III. Si declinatoria fori iudicium reddit ab initio nullum ex defectu jurisdictionis, quæ nec prorogari potuit nec prorogata censetur: tunc enim etiam post sententiam opponi potest, ejusque executionem impedit, tametsi tres sententiæ latæ sint, uti notat Glossa in Clem. 1. de sent. & re jud. communiter recepta teste Covarr. c. 33. pract. qq. n. 2. Unde fit, Clericum hanc exceptionem opponere posse contra secularem Judicem quocunque tempore, etiam post sententiam, quamvis priùs tacuerit, & coram illo litigaverit, cum in illum non possit consentire. C. significasti & C. si diligenti de Foro comp. C. at si Clerici de iudic. Et quamvis si illam omisit usque ad sententiam vel ejus executionem, condemnandus sit in expensas, condemnandus tamen est à Judice tantum Ecclesiastico, ut post Panor. Bald. ac alios notat Covarr. l. c. §. Clericus: quia sicut laicus non est ejus Judex competens quoad principalem causam, ita nec quoad expensas. IV. Si pacto & conventionione facta est alteratio & coarctatio declinatoriæ exceptionis. arg. L. qui futurum. ff. de pact. & L. Commissoria C. de pact. inter empt. & vend. Guido Papæ decis. 275. n. 4. Borell. in summa decis. tit. 48. n. 56. Carpz. L. 2. Respons. lur. tit. 2. resp. 9. n. 7. Mynsing. cent. 4. obs. 27. ubi refert, ita iudicatum fuisse à Cam. Imp. Hic porrò notandum est, quamvis exceptiones dilatoriæ opponi possint post litem contestatam, si post hanc primùm emergere coeperunt, C. Insinuante 25. de Offic. Deleg. L. 2. C. de Consort. ejusd. lit. id tamen non procedere de exceptione incompetentiæ de novo ortæ: quia per hanc non mutatur

tatur iudicium ritè cœptum. *L. si quis 7. & L. ubi 30. ff. de iudic. L. cum quædam 19. ff. de iuris d. C. proposuisti. de Foro comp. L. quamvis 19. C. ad L. lul. de adult.* Dissentit malè Carpz. *l. c. n. 5.* malèque pro se allegat Panor. & Marant. qui non de hac, sed de alijs exceptionibus dilatorijs loquuntur. Verùm de hoc infra uberiùs, quando de præventionem agemus.

79. Circa hætenus dicta tria in dubium vocari possunt. Primum dubium movet Carpz. *l. c. n. 4.* an sufficiat, Declinatoriam fori opponi ante litis contestationem, quocunque tempore hæc fiat, an verò mox ad citationem factam & in primo termino opponenda sit. Satis esse, si quocunque tempore fiat, dummodo ante litis contestationem, colligitur ex cit. juribus plus non requirentibus, quam ut fiat ante contestationem. E contrario cum litigatores ante litis instantiam seu contestationem longo tempore & pluribus sæpe annis in exceptionibus versentur sine litis interitu, ut notat idem Carpz. *l. c. n. 8.* videtur ad præcidendas lites necessarium, ut illa in primo statim termino opponatur. Qua de causa Ant. Thesaur. *decif. 265. n. 1.* aliique aiunt, quòd reus primo termino non excipiens respectu hujus exceptionis pro contumaci habeatur, ac illà privetur, seu non amplius permittatur eam opponere. Verùm ad hanc dubitationem, quam pluribus versat Carpz. *l. c.* jam satis responsum est, quando cum Maranta *p. 4. Spec. diff. 12. n. 12.* ac communi DD. dixi, exceptionem declinatoriam ante omnes alias exceptiones opponendam esse, ne si priùs alia opponatur, per hoc inducatur consensus in Judicem, & sic ejus forum declinari amplius non possit. Qua eadem de causa recusatio iudicis ex causa suspicionis ante alia omnia faciendâ est, ut tenent Bart. Joan. de Imola, & Alex. in *L. quidam consulebant. ff. de R. I. Lanfranc. in c. quoniam prin. de probat.* aliique omnes. Hac autem ratione non est periculum protelandarum litium, & negotij ante factam litis contestationem diu extrahendi.

80. Secundò dubitatur, fierine in absentia Judicis hæc exceptio

ceptio possit, an præsente ipso facienda sit. Nunquam illa juvari reum, nisi præsens eam in iudicio opposuerit; nec sufficere eam in scriptis allegari, sed comparere debere reum, & oretenus in iudicio proferre, respondet Carpz. l. c. resp. 10. n. 1. quia juxta *L. si quis 5. ff. de iudic. prætoris est estimare, an sua sit iurisdiclio: vocati autem non contemnere auctoritatem prætoris.* Verùm hæc neutiquam probant universalem illam propositionem, nunquam hac exceptione juvari reum, nisi præsens eam in iudicio proposuerit. Nam tunc solum præsens eam opponere tenetur, quando tenetur citatus comparere. At non tenetur comparere, ut dixi n. 14. § 16. si certum est, quod Judex citans non sit competens, v. g. si laicus Judex citet Clericum, aut Magistratus Civitatis Studiosum Academiae subditum, vel laicus laicum in causa matrimoniali similive spiritali, aut is, qui non est feudi dominus, vasallum in causa feudi &c. Sed nec illud, quod dicebatur, debere oretenus proponi, fundamentum habet, etiam in illo casu, quo citatus tenetur Judici se sistere: nihil enim vetat exceptionem scripto conceptam Judici tradi, aut exhiberi authenticum exemplar privilegij exemptionis, vel rescripti, quo causa est delegata aut avocata ad Superiorem. Imò Lanfranc in c. quoniam de probat. n. 11. contra Bart. in *L. 1. n. 4. ff. de except.* tenet, absolute eam debere scripto proponi in iudicio ordinario, eò quod reus excipiendo fit actor, actor autem in iudicijs ordinarijs scripto & oblato libello agere debeat.

81. Tertiò dubitatur, an opponi declinatoria fori possit, quando reus se obligavit, se compariturum, ubi ubi locorum & coram quocunque Iudice fuerit conventus. Affirmant Bart. Jason, aliorumque communis apud Scaccia *L. 1. de iudic. c. 101. n. 30.* juxta effatum Africani *L. 18. ff. de iuris d.* dicentis: *si convenierit, ut alius prætore, quam cuius iurisdiclio esset, & priusquam adiretur, mutata voluntas fuerit, procul dubio nemo compelletur ejusmodi conventioni stare.* Poterit ergò exceptionem declinatoriam

riam

riam opponere. Contrarium statui videtur à Justin. *L. 29. C. de Pactis: si quis, inquit, in conscribendo instrumento se se confessus fuerit non usurum fori præscriptione &c. sancimus, nemini licere adversus sua pacta venire, & contrabentes decipere &c.* Qua lege illam priorem correctam fuisse autumant Duarenus ac alij. Plerique conciliare nituntur. Omissis varijs conciliationibus, quas bene rejicit Fachin. *L. 1. contr. c. 61.* videtur illa optima, quam ipse post Govea & Cuiacium amplectitur cum Zoesio *ff. de jurisd. n. 31.* videlicet priore lege agi tantum de pacto nudo, & sic mirum non esse, quod conventio de non opponendo non obsit oppositioni: posteriorem verò loqui de pacto vestito, seu illo, quod contractui in continente adjectum est, & consequenter obligationem parit. Verum quoad forum internum parum interest, pacto nudo an vestito renunciatum fuerit huic exceptioni: cum etiam pacta nuda pariant obligationem naturalem & in conscientia. Imò nec quoad forum externum, si verum est, quod post Baldum, Salic. ac Jason. ac hoc teste communem DD. tradunt Wesenbec. *in paratit. ff. de pactis n. 10. §. quamquam.* & Carpz. *p. 3. jurispr. for. const. 5. defm. 22. n. 2.* hodiernis moribus indistinctè ex pactis nudis, seriò & deliberatè initis, etiam in foro civili dari actionem. Aliam distinctionem adhibet Brunneman. *in cit. L. 18. n. 3.* allegans Gozadinum, & falsò Zasium, non excludi exceptionem declinatoriam, si quis simpliciter paciscatur de adeundo Judice non suo; secùs, si dicat, se conveniri velle coram quocunque Judice. Verum hujus discriminis rationem nec affert, nec afferre potuit. Illud asserunt Zasius *in cit. L. 18. n. 36.* & Scaccia *l. c.* post Bart. Bald. ac aliorum communem, eum, qui se obligat ad solvendum, quocunque loco conveniatur, non posse dictam exceptionem opponere, eò quòd *contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo, ut solveret, se obligavit*, ut ait *J.C.L. 21. ff. de O. & A.* Verum si loquantur de pacto nudo, eadem difficultas est, quæ de pacto nudo, quo simpliciter promittitur, me statutum iudicio, ubi conveniar. Alij cum Castr. *in cit. L. 29.*

L. 29. C. de pact. n. 3. § 6. absolute tenere videntur, neminem vi dictæ conventionis teneri alienum Judicem adire, eò quòd per actum extrajudicialem prorogari nequeat jurisdictio. Verùm aliud est, per tale pactum prorogari jurisdictionem; aliud, me per illud obligari ad eam prorogandam. Tametsi igitur per illam conventionem immediate & formaliter non prorogetur jurisdictio, eà tamen obligari possum, ut conventus coram Judice non meo, illum ad eam, ac declinatoriam non opponam, & sic per omissionem oppositionis prorogem jurisdictionem. Denique cum Covarr. aliisque compluribus aiunt Zasius *l. c. n. 19.* & Pachin. *l. c.* dicta conventionem excludi declinatoriam fori, si juramentum adjectum fuerit. Sed isti supponunt, juramento vestiri pactum & in vim contractus firmari, quod alij non immerito negant. Illud admittendum est, quod extra dubium ponit Zasius *l. c. n. 31.* si unà cum illa conventionem renuntiatum expresse fuit *cit. L. 18.* dispositioni, non competere amplius declinatoriam: neque enim, ut existimat Baldus, hic agitur de favore publico, cui privatus renuntiare non potest; sed de privato singulorum litigantium, cui potest renuntiare: neque aliquid fit contra jus proprii Judicis, cum hic conqueri non possit, si in alium Judicem fiat jurisdictionis prorogatio, utpote legibus hanc permittentibus.

§. VII.

*Sitne desumenda Fori competentia à persona Rei,
an ab Actoris.*

SUMMARIUM.

82. Actor sequitur forum rei.

83. & seqq. rejiciuntur variae limitationes à DD. allatae.

82. Cum saepe actor & reus non sint ejusdem fori seu sub ejusdem Judicis jurisdictione, quaestio est, penes quem Judicem, actoris, an rei, jus dicendi potestas sit; seu, quod idem est, uter litigantium sequatur forum alterius, actor rei, an reus actoris. Explorata

ploratæ veritatis responsio est, quòd actor sequatur forum rei, non hic actoris: ita enim habetur *C. si Clericus 5. & C. cum sit 8. de Foro comp. L. 2. § 5. C. de jurisd. om. judic. L. fin. C. ubi in rem actio.* Estque id universim verum, siye possessorium siye petitorium sit iudicium. Et licet actor sit Clericus; debet enim contra laicum adire secularem iudicem, nisi causa sit spiritualis aut mixta. *cit. c. 5.*

83. Hanc quoque regulam DD. varijs limitationibus arcant. Et quidem numerus earum, quas affert Speculator *tit. de comp. jud. adit. §. 1.* ad quinquaginta duas ascendit. Alij ad longè pauciores restringunt, dicuntque

84. Primò. Quando res agitur inter privatum & fiscum, reus sequitur forum actoris Cæsaris, quod est apud Procuratorem Fisci. *L. si ea questio 3. C. de his quib. ut indig.* Sed istud hac lege non probatur: quia ibi controversum non erat, sed certum, hæreditatem ad fiscum esse devolutam, & idcirco adeundus procurator fisci erat, ut eam caperet. Si extra hunc casum reus cogitur sequi forum actoris Principis, id consuetudini tribuendum est, de qua hic sermo non est, sed de jure scripto.

85. Secundò. Potest Clericus, imò & laicus, trahere laicum ad forum Ecclesiasticum, quando in foro seculari justitia denegatur aut differtur. *C. Licet. 10. & C. Ex tempore. 11. de Foro comp. Novell. 86. c. 2.* Verùm hinc non sequitur, quòd reus laicus trahatur ad forum actoris Clerici; nam trahitur ad suum, cum laici in casu denegatæ justitiæ, perjurij, ubi agitur de vitando peccato, aliisque similibus, quos infra enarrabimus, fortiatur forum Ecclesiæ. Ac etiam in istis casibus conveniendus est coram Episcopo suo, non actoris.

86. Tertiò. Viduæ, pupilli, aliæque personæ miserabiles coram Judice Ecclesiastico contra oppressores agere possunt interdicto *unde vi. C. ex parte 15. hoc tit.* Sed neque hic fallit regula de sequendo foro rei. Non enim Episcopus actoris pupilli, aut viduæ, sed laici oppressoris est Judex competens. Nec, si sub di-

versis

versis Episcopis sunt vidua & laicus oppressor, conveniri hic potest coram Episcopo viduæ aëtrici, sed conveniendus est coram suo.

87. Quartò. Trahi possunt laici ad Judicem sacrum ob malefium contra res Ecclesiæ vel Ecclesiasticos commissum, ut infra dicitur. Sed hac ratione non trahuntur ad Judicem non suum, cum hoc crimen sit mixti fori, ratione cujus respectu laicorum Judex sacer æquè competens est ac secularis.

88. Quintò. Conveniri Laicus à Clerico coram Judice sacro potest, si rem, super qualitigatur, Laicus fatetur esse Clerici, ut à contrario sensu ex *C. si Clericus 5. de Foro comp.* cum Panor. ac alijs deducit Petr. Barbosa in *L. si quis alienum. ff. de Judic. n. 140.* Verùm hoc nego cum Suar. in *Defens. Fidei L. 4. c. 14. n. 14.* Velasc. *de privil. paup. p. 1. q. 52. n. 26.* Emm. Gonzal. in *cit. C. 5. n. 2.* Neque enim valet argumentum à contrario sensu, quando inde sequitur absurdum, & quando ejusmodi sensus est contra alias generales regulas Juris. *C. à nobis 28. §. Nec obstat de sent. Excomm. L. 2. C. de Condit. insert. L. Conventicula 15. C. de Epif. & Cleric.* Est autem regula generalis, quòd actor sequatur forum rei. Igitur sive Laicus neget sive fateatur, rem, super qua à Clerico convenitur, esse actoris, conveniendus semper est coram suo Judice Laico. Nisi, ut benè observat Suar. *l. c. n. 15.* constaret, rem esse Ecclesiæ propriam & à Laico injustè raptam aut detentam: tunc enim tanquam in causa mixti fori ob sacrilegium conveniri etiam coram Judice sacro posset.

89. Sextò. Scholares seu Studiosi quamvis Laici conveniri possunt non tantum coram Rectore Universitatis, sed & coram Episcopo. *Auth. Habitâ C. Ne filius pro patre.* Verùm uter horum contra ipsos adeatur, conveniuntur coram suo, non coram actoris Judice, ut infra à n. 354. fusiùs dicitur.

90. Septimò. Si Titius emptor in jus vocatur à Cajo rei emptæ domino, & nominat suum venditorem Sempronium, tenetur iste sequi forum Titij emptoris. *L. venditor 49. ff. de judic.* At neque

neque sic mutatur forum rei: hujus enim partes non tam venditor quàm emptor sustinet, & hunc ille tantùm defendit; neque in venditorem, qui ab emptore laudatus liti assistit, fertur sententia, sed in emptorem.

91. Octavò. Diffamatus sive civiliter sive criminaliter potest coram suo Judice compellere diffamantem, ut intra certum terminum à Judice præfigendum agat cum comminatione, quòd alioqui perpetuum ipsi imponendum sit silentium. *L. Diffamari §. C. de ingenuis manum.* Convenitur igitur diffamans reus coram Judice actoris diffamati. Verùm diffamantem esse reum nego cum communi sententia, quam referunt & sequuntur Gail. *L. 1. obs. 9. n. 7.* Mynsing. *cent. 6. obs. 100.* Carpz. *p. 1. jurispr. for. const. 7. defn. 27.* Etsi enim diffamatus in casu *cit. L. 5.* non conveniatur, sed ipse prior adeat Judicem; actor verò is dicatur, qui prius litem movit. *C. Forus §. Accusator de V. S. L. in tribus. ff. de iudic.* actor tamen reverà non est, cum *cit. L. 5.* remedium non sit actio, sed solùm imploratio officij Judicis, ac propterea diffamans reus non agitur, sed Judex, coram quo is fortè post longum tempus diffamatum reum faceret, solùm mandat, ut citius agat, aliàs non amplius audiendus. Ipse potius diffamans jam tunc actor est, quando diffamat, cum diffamare sit tacitè ad Judicem diffamati provocare. Hæc adeò vera esse dicit Covarr. *L. 1. var. c. 18. n. 5.* ut hac ratione à diffamato laico etiam Episcopus ad Judicem Laicum trahi possit. Idem affirmat Sanchez in *Opusc. Mor. L. 6. c. 7. dub. 1. n. 10.* Hinc deducit Gail. *l. c.* cum Butrio in *C. quinta vallis de iurejur. n. 40.* & *C. cum inter de Except. n. 10.* ac alijs, quos citat Covarr. *l. c.* quòd diffamatus exceptione excommunicationis (quæ ipsi obstaret, si actor esset) excludi nequeat, cum sit reus, & reo etiam excommunicato defensio, utpote juris naturalis, negari nequeat. Refragantur tamen quoad excommunicatum Panor. Felin. Castr. ac alij, eò quòd diffamatus sit reus voluntarius, non necessarius; & ad standum iudicio coactus. Indidem deducit Gail. *l. c.* cum Purpur. Portia, quòd

quòd diffamatus tanquam reus à diffamatore tanquam actore conditionem instrumentorum petere possit. Longè minùs ad restringendam regulam faciunt reliqua, quæ affert Specul. l. c. ut consideranti patebit. ut adeò optimè dixerit Lucius III. cit. C. 8. generale esse, ut actor forum rei sequatur.

P A R S II.

De Foro Ordinario Communi.

C A P U T I.

De Foro Domicilij.

§. I.

Domicilium quomodo contrahatur.

S U M M A R I U M.

92. *Discordia DD. quoad modos sortiendi Forum.*
 93. *Divisio Domicilij in Commune & Privatum, Privati in Naturale & Accidentarium.*
 94. *Ad Domicilium contrahendum requiritur animus habitandi stabiliter & habitatio.*
 95. *Non item translatio majoris partis bonorum.*
 96. *Nec habitatio per longum tempus.*
 97. *Animus stabiliter habitandi quomodo requiratur.*
 98. *Potest quis plura simul habere domicilia.*
 99. *Non habet domicilium, qui profitetur se nolle habere.*
 100. *Unde colligatur animus figendi domicilij.*
 101. *Domicilium quandoque haberi potest absque habitatione.*
 102. *Amittitur animo mutandi & actuali mutatione.*
92. Premissis ijs, quæ de Foro Competente universim, ac in genere, dici instituto nostro expediebat: exponendi nunc speciatim